CONSTITVTIONES ET DECRETA SYNODI DIOECESANÆ

QVAM ANTONIVS PORTIVS Episcopus Monopoli habuit, Salutis Anno M D LXXXV.

SVPERIORVM IVSSV.





ROMAE,

Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini.

M D LXXXVII.

CONSTITVTIONES ET DECRETA SYNODI DIOECESANAE

QVAM ANTONIVS TORTIVS
Episcopus Monopoli habuit, Salutis Anno M D LXXV.

SVPERIORVM IVSSV.





ROMAE,

Ex Typographia Bartholomei Bonfadini.

M D LXXVII.


ANTONIVS PORTIVS
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPVS
MONOPOLITANVS

Clero suæ Diœcesis, Salutem in Domino.

DIOECESANAM SYNODVM, *quæ ex maiorum institutis, & sacrosancti Cōcilij Tridētini præscripto celebrari singulis annis in Ecclesia nostra debuerat, infirma valetudine, &, prout ipsi scitis, aliquamdiu Neapoli pro Ecclesiæ defensione, alijsq; præpediti curis in hoc tempus distulimus. Sed mora, vt experimento didicimus, non sine magno vtilitatis fructu fuit interposita. Interea namque de rebus Ecclesiæ nostræ visitatione Apostolica certiores effecti, non pauca absurda & abusus, collationumq; circa ordines, ac beneficia defectus, tum etiam clericorum consuetudinem, viuendiq; rationem animaduertimus. Denique cum illis, qui erant inter vos vsu peritiores, de ijs, quæ ad Sacramentorum administrationem, Cleri, Populiq; reformationem pertinebant, frequenter conuentum*

habuimus, vt affirmare possimus, omnia ferè sciẽtibus vobis pro Dei gloria constituisse. Et, vt vestris cõmodis tantùm prospiceremus, singula quotidianis verbis confici mandauimus. Memoria enim tenebamus in hoc Clero non omnes diuites, non omnes esse doctores; quin potius rudes, ac pau peres non paucos, qui & litterarum studijs vacare, & librorum copiam sibi comparare nequirent. Ad horum igitur vitæ institutionem, quatenus sufficere videbatur, huiusmodi Synodum aptauimus ex diuinæ Scripturæ, sacrorum Canonum, & Cõciliorum præsertim testimonijs, tum ex varijs Scriptorum tractatibus nonnulla sumpsimus. Quare alacri animo has accipite Constitutiones, siue Decreta in Cathedrali nostra vobis præsentibus promulgata, & in alma Vrbe, quod præcipuè optabamus, recognita, & demum Superiorum iussu in hanc formam redacta; vt, quæ ad vestrum emolumentum elaborauimus, in Domino faciatis, cum omnia in eo possimus, qui nos confortat Dominus noster Iesus Christus. Amen.

CONSTITVTIONES DIOECESANAE SYNODI MONOPOLITANAE.



De Summa Trinitate, & Fide Catholica. *Cap. I.*



Vamquàm omnes, iuxta Concilij Toletani declarationem, qui sacris mancipantur ordinibus, canonicis regulis teneãtur astricti; expedibile tamen est, vt promissionis suæ vota sub cautione spõdeant, quos ad promotionis gradus Ecclesiastica probat disciplina: solet enim plus timeri, quod singulariter pollicitũ est, quàm quod generali sponsione concluditur. Huic ideo sanctæ Synodo nos inhærentes, præcipimus, vt vnusquisq; qui ad Ecclesiasticos maiores gradus est ascensurus, etiam si de nostra, vel successorum nostrorum licentia ab alieno fortasse Episcopo promouendus erit, non ante honoris consecrationem accipiat, quàm placiti sui adnotatione promittat, quòd fidem Catholicam sincera cor-

dis contritione, ac deuotione custodiens, iustè, & piè viuere debeat, & debitum per omnia honorē, & obsequij reuerentiam Summo Romano Pontifici, præeminentiq; sibi vnusquisque dependat.

Prouisi quoque de beneficiis quibuscumq; curam animarum habentibus, nec non de Canonicatibus, & Dignitatibus ad sacrosancti Concilij Tridentini præscriptum, Catholicæ fidei professionem emittere teneantur; alioquin fructus non faciunt suos, nec illis possessio suffragatur. Ceteri verò omnes siue in præsenti, siue in futurum beneficia Ecclesiastica habituri, in Synodo, quæ primo quoq; tempore celebrabitur, idem omninò seruēt. Cumq; ad felicis recordationis Pij Papæ Quarti prouidam ordinationem hanc fidei puritatem scientiis, doctrinisq; quibuslibet tum tradendis, tum addiscendis, tamquam necessariam basim constituere in Ciuitate ac Diœcesi nostris, quantum cum Deo possumus, & vt tenemur, cupiamus; ne simplicia nonnullorum adolescentium, res nouas audiendi cupidorum, ingenia in naufragos blandiētium hæresum scopulos imprudenter impingant, salubriter in Domino statuimus, vt Doctores quotquot Monopoli pro tempore erunt, Cisternini, & aliàs vbilibet in nostra Diœcesi, Regentes in Monasteriis, ac ludi Magistri publicè vel priuatè docentes, nō antea ad legēdi munus admittantur, quàm eiusdem fidei Catholicę solemniem in manibus nostris, & successorum nostrorum, siue coram Vicariis pro tempore, professionem emiserint.

Clerici demum iuxta laudabilē Ecclesiæ nostræ cō

suetu-

ſuetudinem ſingulis Dominicis diebus coram propriis Parochis Symbolũ Athanaſij recitare non omittant, donec illud rectè memoriæ commendauerint.

Parochi autem plebes ſibi commiſſas inſtruant, curentq; vt fidei Catholicæ articulos quilibet ratione pollens intelligat, ſed eos explicitè, qui ſolemnizantur ab Eccleſia, præcipuè verò myſterium Sanctiſſimę Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri IESV CHRISTI.

Poſtremò ægroti mortis imminente periculo, ſiue per ſeipſos, ſiue etiam per alios eorum nomine, latina, aut propria lingua fidem Catholicam profiteantur, vt Deo placere, & Diaboli tentationes, cui reſiſtendũ eſt in fide, ſuperare valeant: Idq; plurimum Parochorum diligentiæ, charitatique commendamus.

Omnes in emittenda huiuſmodi fidei Catholicæ profeſſione, infraſcripta vtantur forma, quæ à Sede Apoſtolica tradita in Conſtitutione fel. record. Pij Quarti continetur:

EGO N. firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet,

CREDO *in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cæli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in vnum Dominum* IESVM CHRISTVM *filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutẽ deſcendit de cælis: & incarnatus eſt* DE SPIRITV SANCTO

ex Maria Virgine, & HOMO FACTVS EST. Crucifixus etiã pro nobis sub Pontio Pilato passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secũdùm Stripturas; & ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterùm venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos; cuius regni non erit finis. Et in SPIRITVM SANCTVM Dominum, & viuificantem, qui ex patre Filioq; procedit: Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi, Amen.

APOSTOLICAS & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

ITEM sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater ECCLESIA, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vmquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

PROFITEOR quoque septem esse verè & propriè sacramenta nouæ legis à IESV CHRISTO Domino Nostro instituta; atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos ECCLESIAE Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia

& singula, quæ de Peccato Originali, & de Iustificatione in sacrosancta Tridētina Synodo definita & declarata fuerūt amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium sacrificium pro viuis & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, & realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini Nostri IESV CHRISTI, *fieriq; conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam Conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, Animasq; ibi detentas fidelium suffragiis iuuari: similiter & Sanctos vnà cum Christo regnantes venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas firmissimè assero.*

IMAGINES *Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; vsum Christiano Populo maximè salutarē esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanā Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & magistram agnosco, Romanoq; Pontifici Beati Petri Apostolorum principis successori, ac* IESV CHRISTI *Vicario veram obedientiam spōdeo ac iuro. Cetera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridētina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio atq; profiteor, simulq; contraria omnia, atq; hæreses quascunque*

ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo.

HANC veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retinere, & cõfiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego Idem N. spondeo, voueo, ac iuro.

Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia, Amen.

Sed ad extirpandas de agro Dominico zizanias, vtq; fidei puritas immaculata in Ciuitate & Diœcesi nostra conseruetur, cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna districtè præcipiendo mandamus, vt nobis & successoribus nostris pro tempore, si quos fortasse de Catholica fide suspectos audiuerit, denuntiet, vt contra tales ad sacrorum Canonum dispositionem debitè procedatur. Informationes autem, ac processus quoscunque aduersus improbum huiusmodi hominum genus confectos, Romam ad Illustrissimos Cardinales officij sanctæ Inquisitionis transmitti quamprimùm volumus, vt ipsi quid in causa statuendũ sit, pro eorũ auctoritate, & prudentia cognoscant. Curæq; Parochis sit, omnem adhibere diligentiam, atq; conatum homines huiusmodi deperditos inquirendi; vagos etiam, & qui incertas habent sedes, obseruent, ne ex eorum fortasse moribus innocentium vita corrumpatur.

Quia verò curandum est, & sacerdotali diligentia

maximè prouidēdū, vt adulterati codices, & à ſincera veritate diſcordes in nullo vſu lectionis habeantur; multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit; Bipliopolis omnibus, præſertim aduenis in ciuitate, & Diœceſi noſtris, libros quocūque nomine cenſeantur, abſq; noſtra licentia in ipſorum Indice ſcriptis obtenta, venales habere ſub eorūdem amiſſionis pœna prohibemus. Regij autē Dohanerij, atq; Ciuitatis Ianitores, & alij quicumq; penes quos vectigalis ratione noui libri deponuntur, eos niſi prius ab Epiſcopo, vel deputandis ab ipſo reuideātur, Bibliopolis, ſiue quibuſuis aliis non reſtituant: quod ſi contrafecerint, à fidelium communione ſeparentur.

De Baptiſmo. Cap. II.



EA fuit inſtituti noſtri ratio in hac Synodo cōponenda, vt Clericos, & alios curę noſtræ ſubiectos, de iis quæ ad Sacramentorum administrationem, & Eccleſiæ Monopolitanæ profectum viderentur magis neceſſaria, quātum cum Deo poſſumus, inſtrueremus. Quamquam igitur ſciamus, multa & quidem ſingularia tum in Conciliis Generalibus, tum etiam in Synodalibus, & vbiq; de huiuſmodi tractatione legi; nihilominus ea in medium nos afferemus, quæ aptiora negotio noſtro cognouerimus. Quare de Baptiſmo, vt eſt aliorum Sacramētorū ianua, in primis tractaturi, Eccleſiarum omniū Parochialium Præpoſitis ſolicitè curādum præcipimus, vt infantes Parochiæ ſuę ad ipſorum Eccleſias quampri-

mum

ſupra baptizandi caput de cetero perfundatur.

Parochi, ſi aliquando iuſta cauſa fuerint impediti, baptizandi munus non omnibus, ſed digniſſimis tantùm ſacerdotibus, quoad eius fieri poterit, concedāt.

Patrinos doceant quam cum Baptizatis pueris, eorumq; parentibus, ex illorum ſuſcєptione cognationem contrahant.

Librum ſinguli cōficere debebunt, in quo infantiū baptizatorum, parentum, ſuſcipiētium, & Sacerdotis baptizantis, qui pro tempore erit, nomina, familiæ, annus, menſis, & dies baptiſmi ordine ab ipſis deſcribātur: Cuius exemplum anno quolibet Epiſcopo, vel eius Vicario deferant; aliàs eorum arbitrio puniātur. Expoſitis cum Cartula pueris, qua eos dicitur eſſe baptizatos, non ſtatim fidem adhibeant, ſed veritatem perueſtigare diligentiſſimè curent: quòd ſi dubium erit, an verè fuerint baptizati; tunc eos, ſeruata Catechiſmi Romani forma, ſub conditione baptizent.

Obſtetrices, quotquot in Ciuitate ſunt, ſingulis annis per Ordinarium examinentur, an rectam baptizandi formam memoriæ teneant, beneq; illam pronuncient: aliàs baptizandi munus ipſis interdicatur, neq; huiuſmodi officio fungantur (etſi idoneæ ſint) niſi ob neceſsitatem tantùm, ſcilicet ſi Parochus occurrere non poſſet, vel alius Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Clericus in minoribus conſtitutus, vel vltimo loco maſculus, vbi decenter id fieri poterit: quibus deficientibus tūc facultas feminæ ſit baptizādi, ſeruata forma, ſcilicet, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen*. Aquam ſuper ba-

ptizandum eo tempore, quo verba profert, perfundẽs, quæ naturalis sit sine salis admixtione. Diligenterq; curent Parochi, sæpius mulieres huiusmodi admonere, illasq; certiores reddere de facultate, quæ sibi tribuitur; & ne vltra quàm ipsis conceditur, auctoritatẽ sibi arrogent, illas proposita in præsenti Synodo pœna deterrendo compescant. Neque obstetrices præfatæ ad huiusmodi admittantur officium, nisi præstito per ipsas in manibus Ordinarij, vel etiam Parochi iuramẽto de obseruando contenta in præsenti Decreto.

Quando infans domi necessitatis causa baptizatur, & ad Ecclesiam postea defertur, vt eæ celebrentur solemnitates, quæ defuerunt; Parochus actum illum in eius libro Catechismum cum Exorcismo fuisse describat, non autem Baptismum.

Obstetrices, si quem interdum pudoris causa clam parentibus non indicatis, baptizari velint, vt fortasse scandalum euitetur, à Parochis admoneantur, vt puerum quacumque hora ad cuiuslibet Parochiæ Rectorem deferant, qui eum præscripto nostro baptizare nõ remorabitur.

Super omnia meminerint Parochi, dum per eos baptizandi munus huiusmodi, vel in Ecclesia publicè, vel ex aliqua fortè necessitate exercetur in priuata domo, mulierũ abusus, atque superstitiones præcauere, idq; maximè decet, ne vituperetur ministeriũ nostrũ.

De Confirmatione. Cap. III.


VM omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismũ accipere debeant, vt cor fidele ad

pru-

prudentiam,& constantiam dilatetur, cumque in cõfirmatione ad gratiam augmentum præstetur, sitq; in hoc mundo tota ætate victuris,inter inuisibiles hostes, & pericula gradiendum; nos ad pugnam confirmari necesse erit: nam, etsi continuò transituris, sufficiant regenerationis beneficia, viuentibus tamen Confirmationis erunt auxilia necessaria, quæ nos armat ad vitæ huius agones,ac prælia quotidiana.

Ne igitur Episcopo, qui subiectarum ouiũ sibi saluti,quãtum in Domino valuerit, prospicere tenetur, imputari aliquando contingat fidelis populi iactura, Propheta dicente, *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter*;statuimus,vt nostræ Ciuitatis,atque etiam Diœcesis Parochi diebus peractis sacratissimæ Pentecostes,omni qua poterunt celeritate, & diligentia cõmissas sibi Plebes visitent, perquirẽtes,an aliqui sint, qui Sacramento Confirmationis indigeant.

Septennio non minores. Baptizati.

Non alienæ Iurisdictionis.

Eorumq;nomina in scriptis redigant, vt illos confirmare possimus. Adultos admonentes, vt piè ad tam salubre Sacramẽtum accedant ieiuni,nisi aliud necessitas expostulauerit, & eorum peccata confessi. Illud animaduertentes inprimis, ne Patrini admittantur, qui eundem in baptismo susceperint, quiuè eius pater sit, vel coniux,quique Dominicã Orationem, Salutationem Angelicam, & Symbolum nesciant, neque etiam non confirmati, infames, excommunicati, publicè criminosi.

Vnus vnum confirmãdum,feminæ feminas,mascu-

li masculos teneāt;nō tamen natu maiores, ob decentiā quandā, quæ nō immeritò in hoc videt̄ adhibéda.

Eorum Ecclesias insigniori, quo poterunt apparatu exornent Parochi,pro re tam illustri.

Confirmandis quibuscumque schedulam cū ipsorum & suscipientiū nomine tribuant,sua manu signatam,cum qua se coram Episcopo præsentent, eaq; alicui assistentium Pontifici tradita,confirmentur.

Postremò,Parochi schedulis huiusmodi receptis, Confirmatorum nomina,Patrinorumq;diligenter in Codice describant,cum Episcopi,ipsius anni, mensis, dieiq; annotatione;sed maximè caueāt,quantū in eis est,ne q̄d tumultuariè, neuè quid inordinatū in eorū Ecclesia fiat:scriptū est enim:*Quæ Dei sūt,ordinata sūt.*

Chrismatorū frontes bombice à Parocho, seu alio Sacerdote,ex Parochi ipsius licentia,tergantur, lauētur q; postea, & aqua in Sacrarium proiiciatur, bombice combusta.

Iidem Plebes suas frequenter exhortētur, vt vnusquisque familię pater,tam eos,qui in agro sunt,quàm qui domi suæ commorantur, ab Episcopo confirmari curet:quod si id facere contempserit, grauissimè peccabit. Si qui verò fuerint in aliqua Parochia infirmi, qui Confirmationis sacramentum non susceperint,de ipsorumq; morte timeatur, à Parochis Episcopo renūtientur, vt ad ipsos Episcopus accedēs, & eos paterna charitate inuisat, & chrismate confirmet.

Doceant Parochi quos oportuerit, quæ in huiusmodi Sacramento contrahatur cognatio ad sacri Cōcilij.Tridentini præscriptum, eosq; grauiter errare,

qui per negligentiam ſuſcipere Sacramentum Confirmationis omiſerint.

De ſanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramento. *Cap. IIII.*



MNIA, *quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra:* & quia voluit ſic, factum eſt ita. Vnde SALVATOR noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, quod ſumi voluit à nobis, tamquam ſpiritualem animarum noſtrarum cibũ, quo aleremur, & confortaremur, probantes in primis noſmetipſos, ne ſi indignè ſumamus, nos nobis iudicium manducare & bibere contingeret. Qui enim ſceleratè viuunt in Eccleſia, & communicare non deſinunt, putantes ſe tali communione mundari, diſcant nil ad emundationem proficere, ſibi dicente Propheta: *Quid eſt, quod dilectus meus fecit in domo mea ſcelera multa? numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?* ſed quoniam non in eum finem de ſanctiſsimis Eccleſiæ Sacramentis pertractamus, vt eorum omnium, vt diximus, inſtitutionem, vim, & efficaciam, quæ iam vbique tradita, atque declarata ſunt, iterũ doceamus; ſed vt circa ipſorũ vſum, atque adminiſtrationem, quid in Eccleſia noſtra ſeruandum, quiduè etiam vitandum pro Dei gloria ſit, in medium afferamus.

Cuſtodiam igitur in primis Euchariſtiæ Parochis noſtris quibuſcumque, quãtũ cum Deo poſſumus, cõmendamus, qui oleum de oliuis puriſsimum, ac lucidũ parent ad concinandas lucernas ante Dominum, quæ

quot quot erunt, perluceant semper, ac ardeant iugiter. Sed, si quando Parochi plurium lampadarũ onus ferre non possint, vna tantùm retenta, alias amouere debebunt; ne, quæ fuerint restinctæ, cum indecẽtia pẽdeant. Verùm Dominicis diebus, ac aliis per annum solemnioribus pro Ecclesiæ consuetudine, & festi solemnitate, in Cathedrali nostra præsertim augeatur.

De Processione. Cap. 5.

PIVM & religiosè admodum in Dei Ecclesiã introductum illũ morem diligentissimè obseruari mandamus, vt singulis annis præcelsum hoc & venerabile Sacramentum peculiari ipsius festo die, ac etiam in octaua, & quandocumq; pro aliqua re graui publica necessitas imminebit, in Ciuitate, & Diœcesi nostra singulari veneratione reuerenter, & honorificè in processionibus per vias, & loca publica circumferatur.

Parochi autem pridie eius diei, quo Processio fiet, suas Parochias visitent, nequid in plateis, lætitiæ gratia, indecens, impurum, profanumq́; repræsentetur; præsertim commessationes & cruentas historias, magis autem fabulas, quæ ad risum potius, quàm ad deuotionem populo sunt, omnino prohibeant.

Viarum Curatores admoneant, vt operam dent, solum suis locis æqualiter sterni, ne in tanti Sacramenti delatione incommodo ferenti sit, idq́ue per totam Ciuitatem fieri debebit, cum ad infirmos quotidie Sacramentum hoc deferatur.

Altare ex quo gestandúm Sacramentum suscipitur

in Eccleſia, quàm magnificè, ac ſplendidè multis luminibus, & lampadibus accenſis exornetur.

Et ne temporis anguſtia, Miſſam, atque Proceſsionem conturbari contingat, Miniſtri pluuialibus, & dalmaticis albis, ante ipſius Miſſæ celebrationem induantur, vt ſacrificio huic primo deſeruiant, & poſtea in proceſsionibus Sacramentum aſſocient.

Id ipſum in Parochiis cuſtodiatur, vt prius Miſſa celebretur, deinde presbyteri ad Proceſsionē inchoandam in cathedralem deueniant.

Confratres, ex ſuorū ſuperiorū præſcripto, ſodalitatis veſtibus induti, oēs ſuo loco, & tēpore procedāt.

Laici ſimiliter, ac mulieres ita ſubſequātur, vt Proceſſionis ordo ipſorum cauſa non confundatur.

In inceſſu, iuxta laudabilē noſtræ Ciuitatis morē, omnes tā Clerici, quàm laici capite detecto ſint, & à ſermonibus, ac aliis abſtineant, quæ parum religioſi animi ſigna poterunt indicare.

Clerici hymnum canant, *Pange lingua glorioſi.* Item & pſalmos qui recitantur in officio diei.

Curēt Parochi per ſingulas Ciuitatis Parochias eo loco videlicet, quā ſanctiſſimum hoc Sacramētū pertranſibit, Altaria luminibus, & imaginibus exornari, vt Epiſcopus, ſiue alius illud deferens paululum quieſcat, ex cuius manibus iidem, ſtola, & pluuiali induti, Sacramentum ipſum accipiant, & reponant ſuper altare, incenſentq; continuò, ac tandiù, quouſque illud Epiſcopo reſtituant.

Admoneantur omnes quicunq; ij ſint, ſiue viri, ſiue mulieres, vt eo temporis momento, quo ſanctiſſi-

mum

mum istud Sacramentum ante ipsorum domum incedit, ad inferiora descendant, & ex imo loco flexis genibus humiliter illud venerentur.

Infra octauam Corporis Christi, Altare maius in Cathedrali quàm magnificētius fieri poterit instruatur, in quo singulis diebus, eodē vase, quo per vrbē delata fuit sanctissima Eucharistia, de mane collocetur, vt fideli populo in conspicuo sit, quatuor adhibitis Custodibus, duobus nempè Sacerdotibus, ac totidem Clericis, qui luminaria quotidie, ne fortè extinguantur, neuè quid aliud aduersi contingat, solicitè curabunt.

Anteaquàm Vesperæ inchoentnr, per Ecclesiam de more gestetur: quibus tamen absolutis, in ligneo tabernaculo recondatur. Quod etiam, vt fieri hactenus consueuit, in Ciuitatis & Diœcesis nostræ Parochialibus seruari perpetuò præcipimus.

In oratione Quadraginta horarum, quam singulis mensibus ex Gregorij XIII. Pontificis Max. perenni Indulgentia, eademq; plenaria celebramus, vniuerso eo tempore in conspicuo venerabile Sacramentū hoc in altari, ea qua decet honorificentia poni, retineriq; mandamus.

De delatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos. Cap. VI.

PAROCHVS paratam semper habeat Eucharistiam, vt cum aliquis infirmatus fuerit, illum statim cōmunicet, ne sine viatico decedat: ieiuno tamen & de mane, nisi aliud necessitas suaserit, Sacramentum hoc ministretur. hoc enim vniuer

ſa per orbem ſeruat Eccleſia, quod nos omni qua poſſumus diligentia cuſtodire debemus. Id autem aeris ingruente tempeſtate, niſi mortis periculum ægrotantibus immineat, in aliud tempus differatur.

Quod vt ordine fiat, præmoneat eos, qui ſunt in domo infirmi, vt viam propè domum mundent, ipſaſque ædes ſordibus purgent, & ex eorum facultate exornent, & prçipuè ſcalas aſcenſu difficiles accõmodẽt, Menſam mundis linteaminibus aptent, & duo candelabra ſuperimponant: Sed ſi infirmi egeſtas, ea fieri non permiſerit, Confratrum, & ipſius Parochi ſtudio comparentur, Parochus interea in Eccleſia, antè horam acceſſus ad infirmum, cum maiori campana pro conueniendis Cõfratribus, ac aliis ſignum dabit, necnon & Clericos cum tintinabulis per parochiam tranſmittat, vt Sodalitatis veſtibus induti, eam aſſocient, faces accenſas cum duabus laternis deferentes.

Quibus conuocatis Parochus duas ſacræ Euchariſtiæ particulas aſſumat, aut vnam, ſi loci diſtantia, vel itineris, temporiſuè difficultas, vel alia cauſa id ei perſuaſerit. In via Sacerdotes & Clerici tum in eũdo ad infirmi domum, tum etiam in redeundo ad Eccleſiam, alternatim Pſalmos de more recitent, & Laici fabulationes vitent, & alia, quæ populi deuotionẽ conturbare poſſunt. Sed capite detecto pro tanti Sacramenti reuerentia piè & modeſtè illud aſſocient. In Eccleſia verò benedictionem omnes ſuſcipiant, & Indulgentiæ à Parocho publicentur.

Domum ingreſſus, Sacerdos Pixidem ſuper Menſam imponat, conſuetas preces dicat, iuxta ritum Ro-

manum, & lauet manus, vt infirmum communicet, qui ante pectus paratum habeat linteum, & post communionem digitos abluat, & ablutionem sumat, aut infirmo porrigat, vel alicui compresbytero. Interea Sacerdotes astantes, & Laici de more Dominicam orationem, & salutationem Angelicam pro infirmi salute dicant.

Sciat Parochus nō debere se, quandocumq; aliqua de causa vnam tantùm Eucharistiæ particulam ad infirmum detulerit, ea sumpta, in Ecclesiam cum apparenti vasculo reuerti, sed absque superpelliceo, & stola, & vmbella, atque etiam sine tintinabulo, & luminibus extinctis redeat.

De Communione generali. Cap. VII.

OMNES vtriusq; sexus Christi fideles, cum ad annos discretionis peruenerint, quod prudentis Parochi iudicio relinquitur, qui spirituales filios suos instruere antea debebit, saltem semel in anno in die Paschatis Resurrectionis Domini Nostri IESV CHRISTI in propriis eorum Parochiis communicent.

Admoneantur tamen frequentius hoc facere, maximè in solemnioribus festiuitatibus, nempe Natiuitatis Domini, Pentecostes, Corporis Christi, sanctissimæ Trinitatis, Assumptionis Beatissimę Virginis MARIAE, & omnium Sanctorum, præsertim quoque orationis Quadraginta horarum tempore, vt plenariam omnium peccatorum remissionem consequantur, & quo ad eius fieri poterit, inducatur etiam fidelis populus

lus ad tam ſalubre Sacramentum ſuſcipiendũ ſemper quòd aliquod concedi, ac promulgari Iubileum contigerit, ne Dei benedicti gratiam, ac ſalutem noſtram eodem tempore negligere videamur.

In probabili autem mortis periculo conſtituti, puta longius nauigaturi, Mulieres prægnantes, partuiq; vicinæ, & eæ præſertim, quæ alia vice nõ pepererint, iter per loca periculoſa facturi ob latronũ, viarumq; craſſatorum inſidias, viaticum hoc accipere non omittant: *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?*

Sed de his, qui pro ſuis ſceleribus capite damnantur, hoc ſtatuimus, vt ſi de omnibus peccatis puram confeſſionem egerint, digneq; pænitere viſi fuerint, eiſdem communio non denegetur: quæ tamen non ſtatim, ſed per diem antequam vltimo afficiantur ſupplicio (ſi fieri poteſt) erit illis concedenda.

Clerici in minoribus conſtituti, ſeruitio præſertim noſtræ Cathedralis, aliarumq; Parochialium aſcripti, ſæpius, maximè autem in oratione Quadraginta horarum, communicent.

Subdiaconi, & Diaconi, ſaltem diebus Dominicis, & ſolemnibus, & cum Altari miniſtrauerint; Presbyteri verò, qui aliàs vel infirmitate aliqua, vel ſenectute legitimè fuerint impediti, ſaltem iis diebus ſumant Euchariſtiam, quibus Miſſæ ſacrificium, huiuſmodi impedimento ceſſante, peragere tenerentur.

Sacerdotes, & Clerici in Eccleſiis quibuſcumq; Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ, ad ſanctum hoc Sacramentum ſuſcipiendum abſque ſuperpelliceo non accedãt. Sed Presbyteri orarium etiam, ſiue ſtolam habere de-

bebũt, ipsis in Altaris gradu superiore, ac etiam Diaconis, & Subdiaconis; in inferiori verò Clericis Eucharistia ministreĩ, Mulieribus & Laicis extra Presbyteriũ.

Sãctimoniales singulis mẽsibus cæleste hoc pabulũ, quo salutari se præsidio muniãt, accipere nõ omittãt, ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superãdas: Quod scrupulosis, ac negligentibus Parochi frequentius agere persuadeant, cũ illis medicinã, istis autem rectè viuendi studium, vt Christianos decet, Deus per Eucharistiæ Sacramentum elargiatur.

Postremò coniuges erũt admonẽdi, vt anteaquàm contrahant, vel triduò saltem ante matrimonij cõsũmationem, & Confratres ad suarum sodalitatum præscriptum, eo tempore communicent, quo ipsis peccatorum suorum plenariè à summis Romanis Pontificibus remissiones indulgentur.

Cum ad Dominicam Cænam fideles cõueniunt, ad celebrandam Christi passionis memoriam accedunt: quapropter eo habitu corporis se cõponant, quo proprius tãti mysterij rationẽ explicare valeãt. Nõ ergo mares cũ armis, chirotecis, plumis, odoribus, vnguentis, nõ cũ indecenti veste, & mulieres ipsæ nõ flabella, crines intortos, fucatos vultus, nõ vestes dissectas, aut alias vanitates deferant; sed capite operto, vultu modesto, & veste communi vtantur.

Omnes ieiuni sint, qui ad Sacramentum istud suscipiendum accedunt.

Abusus ille quorundam tollatur, qui cum raro sua confiteantur peccata, statim atq; cõfessi fuerint, nulla ferè interiecta mora, ad sacram sumendam Eucharistiam,

ſtiam, non ea qua decet reuerentia, ac animi præparatione accedũt, ſed tamquã obligationis põdus deponere volentes, ad Dominicã mẽſam quodãmodo currũt, nõ aduertentes maximã irrogari iniuriã Sacramento huic tã præcelſo: & ideo inter eos imbecilles ſũt ac infirmi, & dormiunt multi. Hos igitur Parochi paterna admoneãt charitate, vt ſe per triduũ ſaltẽ poſt peccatorũ peractã confeſſionẽ, niſi aliud expedire magis videretur, à cõmunione abſtineãt, & interim orationibus vacẽt, memores illius, qui dixit, *Domine nõ ſum dignus vt intres ſub tectum meum*. Euchariſtiaq; ſumpta, dicat vnuſquiſque, pro gratiarũ actione, ter orationẽ Dominicam, ac totidẽ vicibus Salutationem Angelicam, vel pias orationes alias pro libito cuiuſque.

Et quoniam, *non eſt bonum ſanctum dare canibus*, diligenter aduertant Parochi, quibus Sacramentum hoc miniſtrent, ne fortè eorũ aliqui excommunicati ſint, vel publicè vſurarij, aut aliàs notoriè criminoſi: ſuper hoc autem ipſorum conſcientia plurimùm oneratur.

Neque admitti debẽt qui tẽpore Paſchatis, præſertim ſi alieno Sacerdoti ſua peccata cõfeſsi fuerint, cõfeſsionis teſtimoniũ, & ſchedulã in prõptu nõ habeãt.

Parochus in generali populi cõmunione duos ſaltẽ Miniſtros habeat, quorũ vnus, qui Diaconus ſit, Pixidẽ teneat, alter patenam cõmunicãtis ori ſupponat: luminaria pro Eccleſię facultatibus, & linteamina mũda non deſint: vinum, & aquã ad purificationis vſum, communicatis pro cuiuſq; voluntate porrigant.

Communionis autẽ principio omnes admoneãtur, ne mortalis peccati, ſibi cõſcij Euchariſtiã ſumãt, idq; ſem-

semper in generali communione, ne ex temporis forte differentia, populo cõtra aliquẽ suspicio ingeratur.

In generali communione, iuxta laudabilem Ecclesiæ nostræ morem, facta in Choro confessione, & à Sacerdote ministrãte absolutione, hymnus: *Pange lingua gloriosi*, & psalmus: *Benedicam Dominum in omni tempore*, modulatè canantur.

Sacerdos, cum se ad populum conuerterit, ea proferre verba non omittat, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, & Hostiam ori communicantis ingerens, *Corpus Domini Nostri* IESV CHRISTI *custodiat animam tuam in vitam æternam*, qui statim respondeat, *Amen*: quod antea ab ipso Sacerdote præmoneatur.

In animarum recensu, Parochi pro communicatis nõ habeant eos, qui legitimum testimonium ab locorum Ordinariis, si extra Ciuitatem communionis tẽpore fuerint, vel aduenæ sint, non ostendunt. Negligẽtes autem Episcopo renuntient, vt contra eos, iuxta sacrorum Canonum dispositionem procedat.

De celebratione Missarum. *Cap. VIII.*

VT sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu, interioriq; cordis munditia, & puritate, atque exteriori demum deuotionis, ac pietatis specie celebretur, omnem operam, atque curam, & diligentiam interponere debemus. Curent igitur celebraturi præparare corda Domino, seseq; colligere in loco, quoad fieri poterit, ab aliorum frequentia separato, ibiq; Deum deprecentur, vt sibi spiritum deuotionis elargiatur, ora-

orationesq; ea de re ab sanctissimis Ambrosio, Bonauetura, & Thoma Aquinate piè conscriptas pro temporis opportunitate perlegant; euagationum, colloquiorumque, seu confabulationum, quæ ad rem non pertinent, occasiones fugiant, ne muscæ morientes perdant odorem vnguenti; & antequàm ad Missæ sacrificium peragendum accedant, eos Missam totam percurrere decebit: noui Missalis regulæ tum circa celebrationem ipsam, tum etiam quoad sacrarum vestiũ colores, omnino seruentur: & experimẽto didicimus, maximam celebrantis præparationem esse, si Missam audiat antequàm celebret.

Omnes Sacerdotes teneantur omnino celebrare, cessante legitimo impedimento, diebus Dominicis, & festis. Parochi autem tam frequenter, vt muneri suo satisfaciant.

Nullus Sacerdos vagus, & ignotus admittatur sine sui Ordinarij cõmẽdatitiis litteris, quæ recẽtes adeò sint, vt de eius vita & moribus suspicionem ingerere non possint.

Celebrandi licẽtia vel à nobis, vel à Vicario nostro generali in scriptis concedatur.

Publicè, ac notoriè criminosos à celebrando abstinere iubemus.

De tempore celebrandi. Cap. IX.

MISSAE neq; ante auroram, neq; post meridiẽ, nisi in casibus à iure permissis, celebrentur.

In nocte Natiuitatis Domini Nostri IESV CHRISTI, non ante septimam horam.

Mati-

Matinales, quæ vocantur vulgò, ante solis ortum per duas horas ex sanctissimi Gregorij Papæ XIII. cōcessione.

Votiuæ post defunctorum Missam, vel etiam post Conuentualem pro temporis opportunitate decātentur. In aliis quibuscumq; noui Missalis ordinem seruari omnino præcipimus.

Quæ autem Mortuorum, siue de Requie vocātur, in diebus festis & solemnibus celebrari non debebunt, nisi in die Depositionis defuncti. Et tunc in nostra Cathedrali sub corpore Ecclesiæ, quam Confessionē appellant. In ceteris Parochialibus, eo tempore quo diuina officia non impediantur.

Canonici nostræ Cathedralis Ecclesiæ diebus Dominicis, Apostolorum, & Beatæ MARIAE gradatim teneantur Missam decantare, cum ista consuetudo in reformatis Ecclesiis vbiq; vigeat.

De loco celebrandi. Cap. X.

IN Oratoriis Cappellisuè ruralibus, nisi à nobis impetrata scripto licentia, non celebretur. Super altaribus autem iis, sub quibus mortuorum cadauera sunt, Missæ sacrificium peragere nemini liceat: quod si contra per aliquem factum fuerit, arbitrio nostro, successorumq; nostrorum seuerè punietur.

In Altari in quo Episcopus celebrauit, eadem die, nisi de eiusdem Episcopi licentia, celebrare alteri non permittitur.

In priuatis domibus, atq; etiā publicis, scilicet extra

tra

Ecclesiam, & diuino cultui dedicata Oratoria, in Nauigijs, aut sub dio, sanctum hoc Sacrificium perfici omnino prohibemus, quamuis extra Missæ celebrationem benedictiones permittantur.

De Præparatione celebrantis, & de Ministro. *Cap. XI.*



Audabilem Ecclesiæ nostræ consuetudinẽ custodiri volumus, vt celebraturi omnes, ante Missæ celebrationem confiteantur.

Intentionem discutiant, ne ex consuetudine, idest, sine mentis discussione, neve ex auaritia, hoc est ob lucrum temporale Missam celebrent: generalem contritionem habeat vnusquisque super omissis, quæ facere debuit, potuit, & non fecit; commissis, quæ facere nõ debuit, consuetis, & sæpe confessis.

Puram & veram Confessionem faciant, notabiliũ, communium, generaliter verò ignoratorum criminũ, cordis, oris, & operis.

In Oratorijs ea de re in Ecclesiæ nostrę Sacristia cõfectis, aliisvè in locis segregatis confiteãtur, & anteq̃ sacras vestes celebraturi se induant, Deo se deuotè cõmendent, actualẽq; deuotionẽ habere in Missa diligẽtissimè curent, vt tanti mysterij fructum colligant.

Vnusquisque ad præscriptum Communellæ Præfecti se ad celebrandum induat, qui non erit personarum acceptor, sed præuenientibus locum dabit.

Celebrans linteolum mundũ ad nares tantũ emungendas habeat, ad albæ cingulum appensum. Aperto capite celebret, nisi eum impediat aduersa valetudo, & tunc subireto de Episcopi licentia vtatur, præter-

quàm à Canone vſq; ad peractam communionem.

Præcipuam Calicis, & corporalis mundificationē celebraturi curent.

Omnē adhibeant diligētiam Sacriſtæ in Hoſtiarū confectione, quæ ſint ex ſimila mundiſſima, non nimis craſſæ, frequētius autem in hyeme, quàm aliis temporibus, & bis in hebdomada conficiantur, & in ligneo vaſculo, & rotundo conſeruentur, hoſtiiſq; ipſis pondus aliquod, linea tela, ac tenui munitū ſuperponatur.

Calicis purificatorium Crucē acu pictā habeat in ipſius medio, quod ad ipſum Calicē tergendū tantùm deſeruiat, & velū, quo calix tegitur, vnā cum burſa, ſiue corporalis ſacculo, cęteris indumentis reſpondeat.

Cādelæ in Altari accenſæ; cereus, & ampullæ à Clerico præparentur, quæ eiuſmodi ſint, vt vinum, quod album & clarum ſit, ab aqua perſpicuè diſtinguatur.

Biretum in Altaris menſa, neq; immundum aliquid reponatur.

Laicos, Mulieres pręſertim, adeò à celebrāte diſtare præcipimus, vt cōmodè quidem Miſſam audire poſſint, ſed propius accendere nolumus, nè Sacerdoti, vel Clerico impedimento aliquo modo ſint.

Celebrānti miniſtrare nemo audeat, niſi Clericus: qui in eundo ad Altare Sacerdotem præcedat, talari veſte, & ſuperpelliceo indutus, non conſumpto, aut lacero, mundas habeat manus, in inceſſu compoſitus, cum reuerentia & timore, à Sacerdote non longè ſed propè, vt videatur illum aſſociare.

Eidē miniſtrans, oculis non diuagetur, ſed Altare, & celebrantem ipſum reſpiciat: neminem colloqua-

tur,

tur, aut interrogatus respondeat, nisi fortè ex causa rationabili; munere suo reuerenter, ac ea, quæ decet modestia fungatur, certò sciens, se CHRISTO in Missa non simplici Sacerdoti deseruire.

In Missis celebrandis cæremonias alias, vel preces præter eas, quæ in Romano Missali iubentur, nemo audeat interponere.

Sacerdos discretionē habeat in legendo, vt scilicet alios non perturbet, ne nimis depressè vt à circumstātibus non audiatur, ne nimio clamore vt ab omnibus per Ecclesiam totam intelligatur, quod non decet, nisi quando Missa decantaretur: sed distinctè, sed canorè, sed deuotè legat. Maturus sit in exequendo, nō curiosus in circumspiciendo, non leuis in se mouendo, nec inurbanus in inclinando, non tædiosus in prolungando: Nevè nimis festinus in terminando; sed deuotus, circumspectus, & exemplaris.

Nemo celebrās aduētu cuiuscūq; personæ Missam remoretur, aut iā dicta repetat, sed inceptā ꝓsequatur.

Laici ad sacri Canonis prolationē, vsq; ad cōionē Sacerdotis genua flectant, totoq; sacrificij tpe bireto nō vtanī, neq; fabulenī, aut alio indecēti modo Missā audiāt; sed mēte, cōposito corpe, quod agiī, percipiāt.

Pauperes inter Missarum solemnia Eleemosynam petere non permittantur.

Ad signum eleuationis Corporis Domini Nostri IESV CHRISTI, quod in Conuentuali Missa, ex laudabili Ecclesiæ nostræ consuetudine cum maiori campana dari solet, vnusquisq; vbilibet reperiatur, si id commodè fieri poterit, caput aperiat, & genua flectat.

Peracto Missæ sacrificio, Orationes iuxta Missale Romanum Sacerdos attentè dicat, excellentiam tanti Sacramenti deuotè meditando, & Deo pro suscepto munere gratias agat.

Meminerit post cōmunionem continuò cibum nō sumere, nec citò spuat in loco indecēti, neq; statim sæcularibus negotijs se implicet, ociosus aliquo pacto nō inueniat, nec sine deuota lectione diu permaneat.

Absoluta Defunctorum Missa nigro Pluuiali Sacerdos induatur, quem Chorus expectet, & Hebdomadarijs pcedentibus, ac in gyrum astantibus in medio Ecclesiæ, cōsuetas ceremonias faciat, quibus terminatis, eodem ordine, Cruce præeunte, in Sacristiam redeant.

Candelarum distributio, præter eas, quæ in manibus feruntur accensæ, inter præsentes tātummodo, & in Sacristia, sine strepitu fiat.

De Abusibus. *Cap.* *XII.*

IN Missis, quæ Nouellę dicūtur, nihil prorsus accipiatur, liceat tamen illas celebrantibus, à consanguineis, alijsq; quibuscunque extra Ecclesiam sponte oblata, iuxta Regionis morem in Domino recipere.

In quibus choreæ prohibentur, commessationes, aliaque huiusmodi profana.

In die Festo SS. Antonij, Donati, & similium, morē illum superstitiosum ponendi filios in stateris ex vna, & ex alia parte munera, vt æquo sint pondere, cum corona candelarum inter Missarum solēnia, in omnibus Ciuitatis & Diœcesis nostræ Ecclesijs seruari de cetero

ro omnino prohibemus.

Dum Missæ sacrificiũ peragitur, in eadem hymnũ, *Te Deum laudamus*, canere nemini liceat: sed extra matutinũ, quo tẽpore ratione officij, quod psallim⁹ dicẽdus est, pro re tñ graui, & de nostra licentia decãtetur.

De Superstitionibus. *Cap.* *XIII.*



Vperstitiosus etiã abusus ille, & à radice prodiens inhonestæ cupiditatis, quo nonnulli in Missæ celebratione pro certo quinque carolenorum pretio, vt aliquando factũ audiuimus, conuenire non verentur, mentientes Missam, quam appellant S. Augustini, aliàs nihil eam celebrari faciẽtibus valere, è medio tollatur.

Neq; Missæ celebrentur cum certo candelarum numero, quem vt aliqui occultent, eas in modũ cerei cõtorquent. Nec quæ celebrari petuntur à nonnullis mulieribus ex tantùm mẽdicata eleemosyna, pro ijs, qui in vinculis detinẽtur, aut pro afflictis alijs, vt ipsis ista seruata conditione prosint.

Neq; multis interpositis Euangelijs.

Neq; Trinitatis, vt vocant, scilicet tres in eodẽ Altari, nulla interposita mora; adeò, vt cum Sacerdos vnus Missæ sacrificium vix peregerit, alter celebraturus præsto sit, namq; superstitionẽ sapiunt. Non enim ex huiusmodi numero, certove tempore, atque Missas dicendi modo à Deo gratias impetramus, sed ex virtute sanctissimi Sacrificij, quod in eis peragitur.

Presbyteri, quicũq; ij sint, qui huiusmodi nefandæ fraudis fabricatores extiterint, aliàsve in supradictis

casibus consentientes erunt, ipso facto suspensionis pœnam incurrant.

Parochi frequẽter moneãt Patres familias, vt filios pueros ad Ecclesiam vel transmittant, vel secũ ducant ad Missam audiẽdam, præcipuè diebus festis, & Dominicis, in quibus id ab Ecclesia præcipitur, nec minus seruos, præsertim rusticos hoc ipsum facere iubeant, cum ex eorũ manibus Deus illorum animas requirat.

Viduas quoq; seuerè corrigant, vt relicta vanitate manendi domi ad Ecclesiam conueniant, Missas audituræ, in quibus pro defunctis maritis orent. Necnon & matres familias inducant, quantũ in ipsis erit, vt filias virgines secum habeant, cum ad Missam audiendã accedunt, maximè si egestate non laborent, decentiq; vestitu non indigeant.

Plebes sibi commissas admoneant, vt omni re postposita, ad benedictionem solemnium Missarũ Episcopi accedant, vbi mos est Indulgentias concedendi, ne desides tanto beneficio careant.

Peccatores exhortentur, quicumq; ij sint, vt Altare non deserant, sed Missæ sacrificium pro eorum ad Deũ conuersione fieri vel audire frequentissimè procurẽt: Necnon Sacerdotes pietate insignes, & præcipuè illorum amicos, & familiares obsecrent, vt peccatores huiusmodi, quamuis sceleribus inquinatos, quiuè sacrificio se minus delectari videntur, Missarum celebratione iuuent, cum hoc ceteris humanis officijs præstantius existat, & sine vlla dubitatione, in eo Christus ipse quodammodo clamet, & interpellet pro nobis ad Patrem, multoq; plures quàm ieiunium, eleemosyna,

& oratio ad Deum, sanctissimum hoc Sacrificium peccatores conuertat.

De Sacramento Pænitentiæ. *Cap. XIIII.*

MVltiplex Dei misericordia ita lapsibus humanis subuenit, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pęnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ, vt qui dona regenerationis violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent: sic diuinæ voluntatis præsidijs ordinatis, vt indulgentiam Dei, nisi supplicationibus sacerdotum, nequeant obtinere: *Mediator enim Dei & hominum, homo Dominus Iesus Christus* hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt confitentibus pęnitentiæ satisfactionem darent, & eadem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorũ per ianuam recõciliationis admitterẽt.

Sed quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant; decreuit tamen sancta Synodus Tridentina, nullum etiam regularem posse confessionem sęcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen (si id videbitur esse necessarium) aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis concedatur, ostendat: quod in Ciuitate & Diœcesi nostris perpetuò seruari strictissimè iubemus.

Vicarius tamen, qui Monopoli pro tempore erit, licentiam hanc absente Episcopo non passim, sed approbatis tantùm, ac examinatis Sacerdotibus concedat:

quod

quod examen ab examinatoribus, non paucioribus quàm tribus, fieri debeat.

Regulares ad pęnitentium confessiones audiendas non admittantur, nisi suorum superiorum, scilicet ministri, vel Prouincialis litteras cõmendatitias habeãt: quos in Domino rogamus, vt ad Ciuitatẽ nostram, vbi Conuẽtus, & Monasteria possident opulenta, & in qua maxima charitate ab omnibus confouentur, idoneos eorum ordinum Fratres, ad tanti Sacramenti ministerium transmittant.

Quia iure optimo distinctæ fuerunt Parochiæ, ac vnicuiq; gregi proprij attributi Rectores, qui suarum quisq; ouium curam habeant, vt ordo Ecclesiasticus non confundatur; nemo Parochus alterius Parochiæ subditos in cõfessionibus audire pręsumat, nisi de proprij Sacerdotis, vel Ordinarij licentia.

Regularibus Confessarijs in nostra Diœcesi cõfessiones audiendi licentia cõcedatur, vt obseruatũ hactenus fuit, ea limitatione, ne scilicet Paschali tẽpore sæculares pęnitentes audiant absq; proprij parochi scripto licentia, quam ipsis, confiteri volentes, ostendant.

Parochi verò non oĩbus illam eo tempore cõcedãt, scilicet Concubinarijs, & ijs, qui, vt proprij Sacerdotis iudicium eludant, sibi cõfessarios breui à Ciuitate discessuros, ipsorũq; mores & vitam ignorantes, quærunt, putantes Ecclesiæ pręcepto satisfacere, & in dies peiores fiunt; cùm, etsi quolibet anno modò huic, modò illi confiteantur, nunquam tamen se emendant, & peccatorũ occasiones relinquunt. Durius aũt erit cum istis agendũ, vt aliquando Deo adiuuante resipiscant.

Ca-

Caueant Cõfeſſarij, ne verbo, aut ſigno, aliovè modo dum confeſſiones audiunt, aut extra confeſsiones peccatorem prodant: quoniam qui peccatũ in pęnitentiali iudicio ſibi detectũ præſumpſerit reuelare, nõ ſolùm deponi à Sacerdotali officio debet, verũ etiam erit ad agendum perpetuam pęnitentiam in arctum Monaſteriũ detrudendus: ꝙ ſi quis aliquo fortè caſu dubius extiterit, prudentioriq; conſilio egeat, illud abſq; expreſſione pſonæ, cautè facti ſpeciẽ ꝓponendo, reqret.

Vt verò tam ſalutare Sacramentum, maiori qua poterit decẽtia adminiſtretur, omnemq; vel auaritię, vel ſimoniæ labis ſuſpicionẽ tollamus, ne vituperari, ſed laudari contingat miniſterium noſtrum; Caueant omnino Confeſſarij quicumq; ne, quærẽtes quæ ſua ſunt, pęnitentias pecuniarias ſibimet applicãdas, aut à ſe diſtribuendas, etiam ſub prętextu quòd res ſit reſtitutioni obnoxia, neque votorum permutationis occaſione, aut Miſſarum celebrationis, pęnitentibus imponant, à quibus nihil prorſus quod lucrũ tẽporale, vel quid ſimile ſapiat petere, vel exigere audeant. Si quis verò, quod abſit, contra præſentis cõſtitutionis diſpoſitionẽ venire pſumpſerit, præterquã ꝙ Deũ habebit vltorẽ, ab audiẽdis cõfeſsionibus, niſi ſtatim huiuſmodi malè percepta reſtituerit, eo ipſo ſuſpenſus exiſtat: maximè tamen deceret, ſi à ſponte etiam oblatis abſtineremus.

Quæ reſtitutiones erunt faciendæ tam famæ quàm bonorum, ijs perſonis à pænitentibus fieri Confeſſarij curabũt, ſi certæ ſint, idq; fieri cõmodè poterit, quibus vel iniuria fuerit irrogata, vel dãnũ illatum: ſin autem malè ablata vel pauperibus diſtribuantur, vel conſi-

tentes aliquo pacto prudentis Confessarij iudicio satisfacere debebunt:sed caueant Sacerdotes ne sibi, vel eorum Ecclesijs, quod alijs restituēdum foret simulatione pietatis vsurpent sub prætextu,quòd ipsi,vt aliquando factum affirmant,pro pænitentibus celebrando satisfacient. Qui autem in huiusmodi casibus aliquos accepta pro se Ecclesijsque suis pecunia, vel ob quid aliud temporale, dolosè ac inita conuentione præsumpserint absoluere, sint ipso facto excommunicati.

Non audeāt Cōfessarij vigore quarūcumque bullarū,& si eis à peccatis quātumuis enormibus, & ecclesiasticis cēsuris absoluendi facultas impartiat, super irregularitate dispēsare,nisi nominatim in Bullis id fuerit expressum. Amplius pænitentes admoneāt absolutionē eis,ex cōcessionibus huiusmodi indultā,nō in foro fori, sed in foro pænitentiæ suffragari. Sciant etiam in casibus nobis quocumque modo reseruatis, sine expressa nostra licentia, ipsis absoluendi potestatem non esse, si hoc eis à summo Romano Pontifice non concedatur.

Animaduertant ij preterea,quibus absoluendi à reseruatis casibus per nos potestas facta fuerit, non eos propterea à censuris absoluendi facultatem habere.

Sed regulares meminerint si laicos à canone, seu à sententijs synodalibus, contra Viennensis Cōcilij constitutionem absoluerint, se excōmunicationis censurā Romano Pontifici reseruatam incurrere ipso iure.

Eos verò, qui à censuris absoluendi potestatem habent,præmonemus,ne Clerici percussorem,nève quē-

quam nominatim excõmunicatum, suspensum, vel interdictum, etiam in foro conscientiæ tantũ absoluant, nisi sibi id alicuius Iubilei auctoritate permittatur: Quinimmo neq; publicè peccantes criminosos; sed Episcopo remittantur; neq; alienæ Diœcesi subditum à peccatis Episcopo suo reseruatis.

Vt etiam querelarum, & scandalorum occasio prorsus tollatur; videant Confessarij, ne pænitentis cuiuspiam audire peccata prius incipiant, quàm de confessionis impedimentis interrogauerint, ne si eum à se; quem absoluere non poterunt, cognitis eiusdem criminibus, dimittant, malitiosè id factum putetur: sed isto casu paternam adhibeant charitatem, vt consolatus discedat, reuersurus suo tempore pęnitens ad obtinendum absolutionis beneficium ab eodem Confessario propter facultatem illi attributam, vel aliàs suæ ipsius saluti aliquomodo prospiciat.

Casus autem in quibus excommunicationis sententia incurritur ipso iure, quorumvè absolutiones vel Summo Romano Pontifici reseruantur, vel Episcopo, item & Canones qui Pęnitentiales dicuntur, nõ ignorare Confessarium oportebit: eos verò non transcribimus, sed libellos ea de re iussu Caroli piæ memoriæ Cardinalis S. Praxedis Archiepiscopi Mediolanensis nuper ad Parochorum vtilitatẽ confectos, vnusquisq; legat, vt eos quoad fieri poterit, aliquo pacto memorię commendet, atque antiquorum Canonum grauitatẽ pensata, pænitentias adhibito discretionis moderamine, ad fidelium fructum iniungendas arbitretur.

Omnes deniq; Cõfessarij diligenter conscientiam

pænitẽtium introſpiciant, an ipſam excuſſerint, & debita præparatione ad ſua peccata confitendum acceſſerint, cùm difficile ſit ea, quæ reticueris longo tempore, breui recenſere, & in memoriam reducere.

Sed in modo puniendi modum adhibeant, vt ſcilicet, contraria contrarijs curentur. Auaris igitur eleemoſynas, lubricis carnis caſtigationẽ, & elatis opera præcipiant, quibus eorum ſuperbia frangatur.

Caueant ne alienis peccatis indulgẽdo, eorũ ipſi participes fiant, ſed oĩa prudentia moderẽtur, memores in primis, vt ſatisfactio, quã imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiã, & infirmitatis medicamentũ, ſed etiam ad præteritorum vindictam, & caſtigationem.

Parochi fidelẽ populũ doceant recogitare omnes annos in amaritudine animæ, hoc eſt, vt ſingillatim excutiant peccata, idq; non ſemel per annũ, aut bis, ſed frequẽter, eaq; ex charitate potius, quàm gehennæ timore ex animo doleant. Criminum qualitatem, examinent, loca, tẽpora, varietatem, ac perſonas quibuſcũ ea cõmiſerunt; admoneanturq; neceſſariũ eſſe in primis, delicta omnia, quæ perpatrauimus odiſſe, & deteſtari, ne ſi quorundam tantùm dolore afficiamur ficta & ſimulata neque ſalutaris pęnitentia à nobis ſuſcipiatur. Doceant quoque oportere contritionem ipſam confitendi & ſatisfaciendi cum certa ſtabilique vitæ emendandæ cogitatione voluntatem coniunctam habere.

Curent etiam pro data ſibi à Deo prudentia plebes eorum regimini ſubiectas ſæpius per annum inſtruere, qua modeſtia, quaue humilitate, ac decenti corpo-

ris habitu, compositioneve ad salutare Pænitentiæ sacramentum coram Dei ministro accedere, manereque debeant, vt deuotè, scilicet genibus flexis, capite aperto, vultu demisso, verecũdè, ac manibus iunctis, quod erit contritionis signum, eorum Patri spirituali animę plagas ostendant, ordine omnia peccata detegentes: quod debitam profectò animi præparationem, atque peccatorum excussionẽ indicabit, idq; maximè expedit, vt de omnibus à Dño misericordiã consequantur.

In Ecclesia nostra Cathedrali, ac in alijs etiam Collegiatis, & Parochialibus Ciuitatis & Diœcesis proprij Sacerdotum & aliorum Clericorum Confessarij sint, qui per Ordinarium ad id muneris exequendum quolibet anno deligantur.

Parochi frequenter Plebes suas admoneant, quòd etiam Concionatores, tempore præsertim Quadragesimę, facere curẽt, vt vnusquisq; saltem per totam hebdomadã Dominicæ Passionis, sua peccata confiteatur, quò salubrius, peracta pęnitentia, mysterijs, quæ S. Mater Ecclesia in hebdomada maiori celebrat, & cõmodius interesse, & in diebus vel Cęnæ, vel Resurrectionis Domini Sanctissimam Eucharistiã dignè percipere valeat. Veterem namq; consuetudinẽ circa longioris moræ dilationem penitus non probamus, cum experientia compertum sit, indulgentiã huiusmodi animarum saluti vtplurimùm obesse magis, quàm prodesse; quòd si transacta Paschatis octaua, id aliquos nõ præstitisse reperiatur, contra eosdem per interdictum ingressus Ecclesiæ, aliasq; iuris pœnas ad sacrorũ Canonum dispositionem procedatur.

Tempus

Tempus verò Paſchale, quo tenentur omnes vtriuſque ſexus Chriſti fideles ſua peccata confeſſi, communicare, dies octo complectitur ante Dominicam Reſurrectionis, & totidem poſtea.

Proinde Parochi, eo tranſacto tempore, notulam ad Ordinarium tranſmittant, illorum ſcilicet, qui confeſſi non fuerint, & qui Euchariſtię Sacramentum non ſuſceperint.

Non confeſſis autem, aut non cõmunicatis teſtimonium neq; ore, neq; etiam ſcripto, quòd confeſſi, communicatiuè ſint, nullus Confeſſarius, ſub pœna ſuſpẽſionis præbere audeat: Indigniſſimum quippe eſt, pietatis velamen tantæ prætexere negligentiæ.

Sæpius infra annum Confeſſarij omnes quotquot ſunt in Ciuitate noſtra coram Epiſcopo vocentur, vel eius Vicario, & examinatoribus, quibuſcum de tantæ rei grauitate pertractetur, vt ſi quid reformatione aliqua indigere experientia didicerit, re maturius inter eos deliberata, neceſsitatibus, animarumq; ſaluti per Epiſcopum occurratur.

Confeſſarij neminem audiat in Cellis, vel priuatis domibus, ſed in Eccleſia, & in ſedibus ad id deputatis, quæ nõ in Cappellis vndiq; clauſis, ſed patenti collocentur loco.

Cum turba eorum qui confiteri volunt, præſertim Quadrageſimæ tempore, vt moræ ſunt impatientes, cõfeſſarium ferè opprimat, & vix eſt nè peccata pænitentium à quampluribus audiantur, fieriq; non poſſit Dei Miniſtrum prægrauãte multitudine, rectè ſuo muneri ſatisfacere; edicimus in Eccleſia noſtra Cathedra

li,

li, alijsq; Parochialibus Ciuitatis & Diœcesis confessionalia construi, quæ vndiq; ab imo vsque ad summũ ligneis cancellis sepiantur, sed ea ratione, vt facillimè tum Sacerdos, tum pænitens ipse etiam ab ijs, qui longè absunt, cõspiciantur, ostio in ipsius medio relicto eiusdem formæ, quod claudi possit & aperiri pro temporis opportunitate: sed habeant omnino inter vtrunque Confessarium scilicet & pænitentem fenestellam interpositam aptè clatratam. Sed si quando Confessionalia huiusmodi aliquo in loco defuerint, in mulierũ præsertim confessione, inter suam & pænitentis faciẽ, Confessarij manum interponant.

In infirmorum domibus religiosum comitem, hoc est boni testimonij virum secum adhibeant, & Senem quo ad eius fieri poterit, & si mulier sua peccata confiteatur, eam aperto patentiq; cubiculo audiant.

Quoniam verò diximus nemini in casibus, quocunque modo nobis reseruatis, absoluendi potestatem esse absque speciali nostra licentia, præter eos, qui de iure Episcopo reseruantur, vt sciant omnes Confessarij, à quibus abstinere se debeant, infrascriptos etiam pro nunc ponimus, nempè:

Fraudantes decimas Ecclesijs debitas, dariq; eisdẽ quomodolibet consuetas, ac etiam Gabellas vniuersitatis legitimè impositas, & fraudibus huiusmodi consentientes siue laici sint, siue Clerici.

Qui hospitali nostro S. Iacobi in Compostella, alijsvè pijs locis infantes exponunt, si habeant vnde ipsos alere possint.

Qui in maritimã Ciuitatis, & Diœcesis nostræ an-
tequàm

tequam sibi ab vniuersitate permittatur, animalia introducunt ad fructus nondum recollectos depascendos, & qui licentiam ac facultatē huiusmodi ante debitum tempus elargiuntur.

Stuprantes Virginem sub promissione Matrimonij.

Testes qui in causis quibuscunq; siue criminalibus, siue ciuilibus, siue in foro Ecclesiastico, siue sæculari, vel amore, vel odio, vel pretio falsum deponunt, præsertim in causis beneficiorum, & spiritualibus.

Notarij, qui infra mensem legata pia quæcumque à die mortis Testatoris non renuntiauerint.

Obstetrices, quæ vltra quàm eis fuerit ab Ordinario concessum, baptizandi munere funguntur.

Audita postremò pænitentis confessione, eundem Confessarius, in casibus tantùm, in quibus id sibi permittitur, absoluat sub infrascripta forma:

Misereatur, &c. *Indulgentiam*, &c. *Dominus noster Iesus Christus, te absoluat, & ego auctoritate ipsius mihi licèt indignissimo concessa, absoluo te in primis à vinculo excommunicationis, in quantum possum, & indiges; Deinde; Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, vel mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & premium vitæ æternę.*

Tempore Iubilei, & similium gratiarum.

S*I teneris aliquo vinculo, vel aliquibus vinculis excommunicationis & interdicti*, si est Clericus addatur *suspen-*

ſionis ; ſi verò laicus non, *à quibus ego poſſum te abſoluere, auctoritatę mihi cõmiſſa, & tibi conceſſa à ſanctiſſimo Domino noſtro Papa, Ego abſoluo te, & reſtituo te ſanctis Sacramẽtis Eccleſiæ, communioni, & vnitati fidelium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Miſereatur*, &c. *Indulgentiam*, &c. *Dominus noſter Ieſus Christus*, vt ſupra.

At ſi de excommunicatione Confeſſarius ſit certus, & facultatem abſoluendi habeat, dicat ſic:

Auctoritate N. ego te abſoluo à vinculo excommunicationis incurſæ propter talem cauſam. deinde ſubiungat ſic: *& ſi teneris aliquo alio vinculo excõmunicationis, à quo*, &c. poſtremò abſoluat à peccatis, vt ſupra.

Forma diſpenſandi ſuper irregularitate.

Auctoritate N in hac parte tibi conceſſa, & mihi cõmiſſa, diſpenſo tecum ſuper irregularitate, vel, *irregularitatibus, quam*, vel, *quas contraxiſti*, propter talem (vel tales) cauſam (vel cauſas) *& reſtituo te ad actus legitimos. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

Abſolutio in articulo mortis pro habẽtibus Bullas, aut Confeſsionalia, aut Apoſtolica Priuilegia.

Poſtquàm Pænitens fuerit abſolutus à cenſuris, & à peccatis ſecundum formulam hic ſuperius poſitam, debet Sacerdos in fine hæc verba ſubiungere:

Auctoritate D. N. Ieſu Christi, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli tibi conceſſa, & mihi commiſſa, concedo tibi omnem illam indulgẽtiam peccatorum tuorum, quam poſſum concedere virtute Bullarum tuarum, Confeſſionalium, vel aliorum priuilegiorum; ſi tamen hac vice morieris, aliàs pro alia tibi vice reſeruo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

De Sacramento extremæ vnctionis. Cap. XV.

CVM per totum præsentis vitæ spatium, quæ *militia est hominis super terrã*, pro subditorũ salute sit inuigilandum; extremò tamen tẽpore, cum eorum calcaneo antiqui serpentis insidiatur astutia, id multò impensius Parochis erit procurandũ: Quare suos admoneant ægrotos, vt salutaribus Pænitentiæ & Eucharistiæ sacramentis susceptis, opportuno deinceps tempore, cum probabiliter mortis timetur periculum, dumq; integros habent sensus, & vberiori cum fructu præparare se possunt, extremę vnctionis Sacramentum adhibendum sibi postulent, de cuius vi ac virtute prudentibus verbis illos etiã prædoceãt.

Si quis tamen ob vim morbi sensum amiserit, nihilominus inungi non omittatur, modò ea ostenderit signa deuotionis, ex quibus diiudicari possit, eũ, si mentis adhuc esset compos, sacramentum hoc petiturum.

In eius verò collatione aduertat Parochus, vt dum ex Rituali Romano, sacra verba singulis applicata sensibus profert, quæ debita sunt huius sacramẽti forma, videlicet: *Per istã sanctã vnctionẽ*, &c. eodẽ tẽpore, non ante, vel post, ipseq; nõ alius sãctã adhibeat vnctionẽ.

In sacerdotibus autem laudabilem seruet consuetudinem, vt eorum manus pro quadam speciali honestate, perungat ad extra, laicorum ad intra.

In mulieribus itẽ, vt eas non in renibus, sed in summitate pectoris inungat: quod in viris etiam obseruet, si renes inungi infirmitas prohibuerit.

Caueatq; nę dum oculos, nares, aures, & manus inungit alteri tantùm vnctionem adhibeat, ne imperfe-

ctum remaneat sacramentum.

Et si vngendus aliquo membro careat, vt manu, vel pede, &c. vngatur locus mēbro tali propinquior: Nec eadem stuppa, seu bombice loca singula tergantur, sed in qualibet membrorum specie mutetur.

Si infirmus sit leprosus, tunc sacerdos cum spatula munda sanctum oleum applicet pollice suo, sicq; illum perungat, faciatq; spatulam postea cū stuppa comburi.

Sciat præterea posse hoc sacramentum in eodem homine iterari, non solum vbi diuersæ accidunt infirmitates, sed in eadem etiam ægritudine; longius tamen perdurante, vel speciem immutante, ad diuersos periculorum casus, post interualla aliquanti temporis incidentes, quoties scilicet, nunc remittente, nunc ingrauescente morbo, pluries spes salutis emergere, pluriesque mortis imminere periculum dignoscetur.

Non ignoret etiam posse hoc sacramentum ministrari senio confectis, etiam non ęgrotis in diem morituris: Necnon letifero vulnere sauciatis, siue id repentino casu, siue aliena malitia euenerit.

Denegari autem pueris, ac puellis rationis vsu carentibus. Mulieribus in partu laborantibus. Ad bellum proficiscentibus. Nauigantibus. Peregrinantibus. Capite damnatis.

Amentibus, ac furiosis, nisi his, qui dilucida habuerint interualla, tuncq; pia aliqua significatione sacramenti huius suscipiendi desiderium ostenderint.

Impænitentibus tandē, & ijs qui cum notorij essent peccatores, vel ab Ecclesia præcisi, nullum emiserint pænitentiæ signum.

Cum aduocatur Parochus ad Sacramentum hoc mi nistrãdum, mensulam aliquã cum mappa munda propè stratum ægroti, vbi id cõmmodè fieri potest, sterni procuret, in quã & vas adsit cum bombice, seu stuppa ad vnctiones abstergendas, mica panis, & vas aquæ ad digitorum, & manuum lotionem pręparatum cum parua ceræ candela, qua in mensą vas sacri olei à parte collocetur lecto propinquiori. A laico autem homine manu ne teneatur.

Proficiscatur id administraturus stola, ac superpelliceo indutus, quotq; commodè poterit Presbyteros, & Clericos cum superpelliceis adhibere studeat, qui eum in tam pio coadiuuent ministerio.

Vas sacri olei, quod argenteum, vel stanneum saltẽ sit, apteq; fabrefactum, ne sinu brachioq; comprehensum, sed sacculo serico decenter inclusum, cordula itẽ serica à collo pendens, reuerenter deferat, cum Cruce, lumineq; pręcedente, absq; tamen tintinabuli sonitu, ne simplices sacro oleo, quemadmodum & sanctissimo Eucharistiæ Sacramento latriæ cultum, qui meritò ei debetur, cum genuflexione adhibeant: satis enim est si sanctum hoc, aliaq; sacra olea ad salutem nostram oratione & verbo Dei sanctificata, capitis apertione deuotè honorent.

Cum verò ad infirmi domũ deuenerit, cæremonias seruet in Romano Rituali pręscriptas. At si mors ægro timeatur imminere, anteq̃ præcedentes recitẽtur preces, tunc simpliciter omissis reliquis, sanctam adhibeat vnctionem, debitam seruando formam, astantesq; moneat, vt pro infirmo pias apud Deum preces effundant.

Tandem

Tandem vbi Sacramentũ hoc ministrauerit, si æger sensuum vsum non amiserit, cum breuibus, suauibus, ardentibusq; verbis illum cõsolari, ac ad æternæ vitæ desiderium, & ad spem de diuina misericordia concipiendam excitare non omittat. Opportunò deinceps tempore in commẽdatione agonizantis animæ, quantum fieri potest, frequenter adsistat.

De Sacramento ordinis. Cap. XVI.

CVM diuina res sit sancti Sacerdotij ministerium; cõsentaneũ profectò est, quò dignius, & maiori cum veneratione exerceatur in Ecclesiæ ordinatissima dispositione diuersos ministrorũ ordines, qui sacerdotio ex officio deseruiant, ita distribui, vt qui iam Clericali tonsura sunt insigniti, per minores gradatim ad maiores ascendant; cumq; ex sacrorum ordinum collatione character inuisibilis animæ imprimatur, sacra mysteria dispensentur, & ipsarum cura animarum tribuatur, in eorum susceptione excessus tantò magis cauendi sunt, quantò ex illis maiora in mentibus fidelium scandala generantur. Quæ igitur in re tam graui salubriter instituta sancitaq; hactenus fuere, quẽadmodum par est, in Ecclesia nostra seruari præcipimus, vtq; de cetero; nobis auxiliante Deo, cuncta quoad fieri poterit, ad sacrorum Canonũ, sanctęq; generalis Tridentinæ Synodi dispositionem peragantur.

Omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, ij pręsertim, qui ad singulos maiores ordines erũt assumendi, per mensem, ante ordinationem, quam

ſtatutis à iure tẽporibus ſubditis noſtris indicere conſueuimus, Epiſcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire ſibi videbitur, committet, vt nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoueri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinãdorum natalibus, ętate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, idq; totum poſtea Epiſcopo renunciet: ſed feria quarta ante ipſam ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, euocentur ordinandi, vt ipſe, vel eius Vicarius, ſiue alij ab Epiſcopo deligendi vltra inquiſitionem præfatam, pro ſuſcipiendi ordinis ratione doctrinam, ac ſcientiam eorum diligenti quidem, ſed benignè tamen, & ex ſincero charitatis affectu, præcedẽte inueſtigatione, ſciſcitentur.

Quoniã difficilè eſt, vt bono peragantur exitu, quę malo ſunt inchoata principio, Patrũ, ac aliorũ exẽplã ſequuti, ab ordinum ſacrorũ ſuſceptione prohibemus Criminoſos. Solemniter pænitẽtes. Neophytos. Ebrietati, & gulæ deditos. Lapſos poſt ordinem ſũſceptum. Ratiocinijs obligatos, Seruos. Corpore vitiatos. Inſigniter deformes. Peregrinos. Ignotos. Bigamos. Irregulares quocunque modo. Suſpenſos. Interdictos. Excõmunicatos. Amentes. Morbo caduco laborãtes. Illitteratos. Illegitimos. Maledicos, & detractores. Iſtriones, & turpitudinibus inſeruientes. Infames. Ideſt, Omnes qui Chriſtianæ legis normam abijciunt. Statuta eccleſiaſtica contemnunt. Fures. Sacrilegos. Sepulcrorum violatores. Homicidas. Periuros. Raptores. Maleficos. Veneficos. Adulteros.

Impu-

Impudicos, & Omnes quos sæculi leges infamia notant, Eos scilicet, Qui lenocinium fecerint. Qui iudicio publico. Calumniæ. Præuaricatione. Bonorum raptorum. Iniuriarum. Dolo malo. Fraude sub nomine pacti. Quiue, Pro socio. Tutela. Mandati. Depositi per sententiam extiterint condemnati. Aleatores publicos, & quos Ecclesiasticæ leges pronunciant infames. De criminibus accusatos antequam de causa cognoscatur. Et similes, quod longum esset recensere.

Non solũ autẽ huiusmodi Criminibus irretitos, & qui defectus patiuntur, quos supra posuimus: sed etiã eos omnes ordinari nõ posse dicimus, qui in ea nõ sint ætate constituti, quæ ad ordinẽ vnumquẽque, ex Canonum, & Concilij Tridentini dispositione requiritur.

Igitur initiandi prima Clericali tonsura, Septẽnio minores non admittantur. Et qui confirmationis Sacramentum non susceperint. Ac fidei rudimenta, Legere, scribereq; nesciant. Sed ij tamen quorum probabilis coniectura sit eos velle fidelem cultum Deo præstare. Ad minores ordines ante duodecimum, seu decimumquartum ætatis suæ annum, nisi aliud nobis expedire videbitur, nemo promoueatur. Ad subdiaconatum ante vigesimum secundum. Ad Diaconatum, ante vigesimum tertium. Ad presbyteratum verò, ante vigesimum quintum.

Quibus tamen casibus annum inchoatum esse sufficiet, licèt non fuerit expletus; & tamen non omnes, etsi legitimæ sint ętatis, sed digni dũtaxat, & quorũ probata vita senectus sit ad maiores ordines assumantur.

Non

Non autem infra annum à posteriorum ordinũ susceptione, videlicet à Minoribus ad Subdiaconatum, neque à Subdiaconatu ad Diaconatum, & à Diaconatu ad Sacerdotium, nisi pro Ecclesiæ vtilitate, aut necessitate aliud expedire Episcopo videretur; sed de huiusmodi Episcopi dispensatione tum in litteris dimissorijs, tum etiã promotionis semper erit habenda mentio, ne litibus, ac iurgijs contra pauperes Clericos prębeatur occasio. Non furtiuè, hoc est, ignorante ordinatore, & absque superioris licentia. Non per saltũ, vt si Subdiaconus sit, faciat se ad Presbyteratũ promoueri, Diaconatus ordine prætermisso. Non extra tempora à iure statuta, nisi fortè ex sanctissimi Romani Põtificis indulto, & tunc ipsius forma omnino seruata.

Dimissoriæ verò præterquam Episcopo in remotis agente, nullo pacto à Vicario concedantur, absq; mandato speciali ipsius Episcopi.

Sed Capitulũ siue eius Vicarius Episcopali sede vacante, infra annum, à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias huiusmodi nemini concedat, qui beneficij Ecclesiastici iam recepti, siue etiam recipiendi occasione arctatus non fuerit; alioqui si secus attẽtarẽt, statutas à Concilio pœnas nõ euaderent.

Nõ alibi quàm in Cathedrali præsentibus Canonicis, & publicę sacrorũ ordinũ collationes fiant ad laudabile antiquorum canonum institutum, quod in Ecclesia nostra Domino dante in vsum reuocauimus. Non absque præuio examine, quod etiam in regularibus seruetur. Sæpe quoque dubitare contingit, vel in Cleri visitatione, siue inter aliquos de Ecclesiastico

bene-

beneficio coram ordinario disceptantes.

An fuerit quis promotus ad aliquem ordinem,

An absque Superioris licentia,

An furtiuè: an p saltũ, oriunturq; variæ difficultates:

Si præsumatur promotio ex temporis diuturnitate,

Quot anni sufficiant,

Quid de promouente ac ordinato sentiendum,

De generali hominum extimatione, & similibus.

Igitur omnes admonentur, cum promotiones debeant litteris probari, vt receptorum ordinum facultates, ac alia legitima documenta penes se cautè custodiant, scituri, quòd non semper amissionis litterarum excusatio ab oneribus & incommodis releuat.

Rogamus postremò, quantum cum Deo possumus, successores nostros Episcopos, viles à tanto munere ac dignitate respuant, & eos tantummodo admittant, de quibus probabilis sit coniectura, non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt gratum, atque fidelem Domino famulatum præstẽt hoc vitæ genus elegisse, quosq; sciẽtiæ spes in Ecclesia nostra honore dignos ostendat.

Abusus tollatur cõseruãdi capillos primæ tonsuræ.

Donationes quas parentes faciunt, siue quicunque ij sint, ad maiores ordines promouendis bonorum mobilium, vel se mouentiũ de cetero non recipiantur, sed de rebus stabilibus, quæ vsu non consumuntur, nec depereunt, seu de aliquibus censibus fiant, ex quibus iuxta cuiusq; statum, & qualitatem possint promouendi commodè se sustentare, quæ postea bona absque Episcopi licentia alienari nullo pacto valeant, idque omnino seruetur: donationes tamen animalium, & pecu-

dum,bouum,aliorumq; mobilium vltra stabilia, quæ promouendis,vt præfertur,assignari debent, non propterea reprobamus, dummodo in fraudem vectigaliũ legitimè impositorum non fiant; si qui autem in fraudem eas fortasse receperint,arbitrio nostro punientur.

De Sacramento Matrimonij. Cap. XVII.



QVoniam sancta res est matrimonium, & sanctè tractandum: vt ea qua decet modestia, & honestate fiat; Parochi diligenter in ijs contrahendis omnia seruari curabunt, quæ à sacrosancto Concilio Tridentino tum circa Denunciationes in Ecclesia faciendas,tum etiam in adhibendis solemnitatibus cõstituta sunt: illudq; meminerint in primis maximè expedire, si sæpius infra annum rudem populum doceant,quæ nam sint,quæ iam contractũ matrimonium dirimant, quæuè impediant contrahendũ; omnesque,præsertim de iustitia publicæ honestatis, ac affinitatis ex fornicatione prouenientè, verbis tamẽ quoad fieri poterit honestioribus, ac de alijs impedimẽtis admoneãt.Multi enim(vt par est credere) vel rusticorũ vel carnaliũ hominũ ad pauca respicientes de facili contrahunt, diuitias magis ac pulchritudinem, quàm rationem sectantes: illud quoq; potissimum interest,si plebibus impedimentum,quod ex cognatione spirituali proficiscitur, ad præscriptũ extrauagantis Pij sanctæ memoriæ V. declaretur, idq; non semel tantùm, sed pro loci, ac temporis opportunitate quandocũq; prodesse visum fuerit; sed caueant, nè rudes aliquãdo decipiãtur,putãtes honestatis publicę iu

ſtitiam vbi valida erunt ſponſalia ad affines extendi; nam de conſanguineis tantùm intelligitur, vt ſi ſpondeat quis in vxorem ſe ducturum aliquam, ea mortua, & ſi non poſſit contrahere cum defunctæ conſanguineis in primo gradu, iuxta conciliũ, tamen licitè contrahet cum affine eius, cum vxore videlicet fratris eiuſdem ſponſæ, ſi & ipſe mortuus fuerit.

Decretum eiuſdem concilij de reformatione matrimonij in eorum Parochialibus Eccleſijs, illudq; verſum materna lingua, ter ſaltem in anno populo legant.

Si contingat matrimonium inter aliquos, qui diuerſæ Parochię ſint, contrahi; in vtraque denunciationes tribus continuis diebus feſtiuis omnino fiant, quę non remittantur, niſi per Epiſcopum, & quando probabilis erit ſuſpicio poſſe malitiosè matrimonium impediri: ſed ſi cum aduenis contrahatur, tunc Parochus diligenter faciat inquiſitionem, reģ; ad ordinarium delata, ab eo licentiam tales matrimonio coniungendi obtineat.

Si verò, vt aliquando euenit, Anglus, ſiue Gallus, aut Hiſpanus in ciuitate, & Diœceſi noſtra commorantes contrahere velint, quia fieri non poſſet, vt eorum Domi ſolemnitates denunciationum huiuſmodi ſeruarentur; eo caſu cum alienigenæ iſti nõ habeantur pro vagabundis, illius Parochiæ intelligantur eſſe, in qua per aliquod tempus habitauerint, & ſecundum Canones domicilium contraxerint. Si igitur noti ſint, ipſorumq; mores non reprehendantur, ad matrimonia cõtrahenda debent admitti, præſertim ſi ſtatutis à iure temporibus ſua peccata confiteantur.

Si sanctum Eucharistiæ Sacramentum sumant,
Si laudabiliter viuant,
Si aliàs in ipsorum regionibus contraxisse non dicuntur: idque totum Parochorum diligentię relinquitur, qui de omnibus Episcopum certiorem faciant, vel eius Vicariũ, vt si quid emerserit difficultatis, ipsi pro sua in Deum pietate atque prudentia, illud agendum constituant, quod causa deposcit.

Denunciationes elapso mense, nisi de nouo fiant, intelligantur non valere: sed anteaquam matrimonium inter aliquos cõtrahendum in Ecclesia publicetur, inquirant diligenter Parochi, an aliqua fortè subsint impedimenta, id ab eis perscrutando, qui rei gerendæ videbuntur notitiam habere: & licèt matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta, si Canonicum aliud nõ obsistat, valida reputentur ac firma; quia nihilominus sancta Dei Ecclesia, ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit, eorum prius voluntatem explorent siue parentum, siue aliorum ad quos futuri sponsi vel sponsæ tutela, vel cura dignoscetur pertinere: qui si non consenserint, paternè sponsos admoneãt, ne suis inuitis, qui rem fortasse melius perpendunt, aliquid deliberare velint; sed parentibus obediant vti decet. si verò nihil horum inuenerint ad publicationem huiusmodi, ad matrimonij ipsius contractum per eos erit in Domino procedendum: illud solicitè curantes, ne clandestinè fiat, quantùm in eis erit, neuè matrimonij libertas vllo pacto violetur.

Ijdem populum non ignorare curabũt, debere omnes impedimenta detegere, si quæ scient obstare ma-

trimonio contrahendo, aliàs peccato consentirent, si in casibus contraheretur à iure non permissis, esseque valde detestabile impedimenta reticere, ne matrimonium impediatur, vt aliquando fatui nonnulli excusari dicuntur, non intelligentes matrimonia contra canonum & Concilij dispositionem contracta sæpe nulla esse, & cōsummata concubitus illicitos existere, fornicationes & stupra. Si verò Parochis ipsis impedimētum aliquod innotuerit, Episcopum de eo certiorem reddere, vel eius Vicarium ante Matrimonij publicationem non omittant.

Edictum inuiolabiliter seruetur nuper in Ciuitate nostra editum contra omnes, qui anteaquam legitimè seruata forma Concilij contrahant, peractis tantummodo sponsalibus, cum sponsa tamquam cum vxore cohabitant, & carnali copula sese commiscent, certis ibi propositis pœnis ad perniciosum abusum illum Deo dante penitus extirpandum. Inuigilent propterea parochi, vt si qui sunt in eorum Parochijs generis huiusmodi sceleratorum hominum, Vicario quamprimùm denuncientur, vt eos debita castigatione coerceat.

Clerici, qui continentiam profiteri debent, coniugales copulas, siue matrimoniorū contractus tāquam huiusmodi officij proxenetæ procurare non studeant.

Admoneant præterea Parochi fidelem populum, vt piè ad sacramētum istud accedant, dies, menses & annos non obseruantes: nam qui certis diebus, siue mensibus, siue annis volunt aut nolunt aliquid agere, vel inchoare, eo quòd secundum vanas impiarum quarūdam vetularum fabulas fausta vel infausta existiment

tem-

tempora inutiliter, & sine causa sibi damnationẽ operantur: *Virtutes enim bonos dies viuẽti faciũt, vitia malos.*

Sunt ergo mulieres, & præsertim virgines, ac puellæ à superstitionibus deterrendæ: multa enim, & quædam horribilia matrimoniorũ iniendorum causa etiã nonnullæ dæmonum impulsu perditarumq; feminarũ suasione faciunt, vt quem affectant sponsum, eiusque condicionem, & an conciuis, vel aduena futurus sit, nõ ignorent, vt nõ simul, vel ante virum, sed post eius mortem ex hac vita migrent, vt amentur, & millia inanissimarum obseruationum, quæ transcribere pudet, impudenter attentant, nescientes quòd obseruare auguria, & euentus ex his futurorum rimari, ceterisq; huiusmodi superstitionibus implicari, Ægypti opprobrium est idololatriæ matris. Animarum igitur curatores omni quo possunt studio ex rudium, & simpliciũ mẽtibus similes impietates euellere pro viribus in Domino conentur; quæ verò hac peste conuictæ fuerint elaborare, seuerè pro modo culpæ per Episcopum, vel eius Vicarium puniantur: sed illud magnoperè necessarium videtur, vt nonnumquam Parochi in eorũ concionibus in superstitiones istas, ac etiam superstitiosos in genere inuehant, prout Spiritus sanctus dabit eloqui ipsis: speramus enim fore, vt homines aliquando, auxiliante Dei misericordia, resipiscant.

Quoniam multi sunt postremò, qui vagantur, & incertas habent sedes, & vt improbi sunt ingenij, prima vxore relicta aliam, & plerumq; plures illa viuente diuersis in locis ducunt; erit diligẽter aduertendum per Ciuitatis, & Diœcesis nostræ Parochos, ne huiusmodi

homi-

hominum matrimonijs interſint: & quia ſæpe contingit aliquos, præſertim milites, qui nubere volunt, fueruntq; cum alia matrimonio coniuncti, primam vxorem eſſe mortuam affirmare; vel cõtra, mulieres etiam aliquando de viris ſuis hoc ipſum aſſeuerant, idq; teſtibus probare coram Epiſcopo nituntur, perditorum hominum teſtimonia comparantes vel data pecunia, vel amicorũ execrabili beneuolentia; attentè Vicarius perſpiciat (cum certus de prioris vxoris obitu nuncius ex Canonum diſpoſitione ſit neceſſarius) ne iſtorum dolo turpiter decipiatur, videatq; propterea cuiuſnã ſint exiſtimationis qui talia petunt,

Qui nam teſtes, Quę deponant, An verò ſimilia, An inter ſe contraria, & inuicem pugnantia. An varia, Quo vultu, Qua trepidatione, An affectatè loquantur, An ſint omni exceptione maiores, Quæ fama, Qui rumor in ciuitate, vel loco ſit, vbi matrimonium erit contrahendum, de morte eius, qui mortuus à volẽtibus contrahere contenditur, Quam ſcientiæ cauſam reddant, Si mortuum bene nouerint, Quæ ſigna mortis viderint in eo, Si interfuerint ſepulturæ ipſius, Si audita referant, Qui conteſtes, Quis obitus dies, De menſe interrogentur, De anno,

De Eccleſia an Parochialis, an fortè Regularium, & ſimilia, quæ pro ſua conſcientia Iudex animaduertere debebit, ne lenocinijs anſam præbeamus: deinde, quod iuſtum ſibi videbitur, exequatur.

Non permittant Parochi tabelliones in eorum eccleſijs capitula matrimonialia conſcribere, neque aliquid

quid stipulari, sed solemnitatibus in Ecclesia peractis, à Parochis in sponsi, ac sponsæ coniunctione, & benedictione, in qua non amplius vtantur vmbellis, ad ipsius Ecclesiæ valuas de his, quæ gesta fuerunt, Notarij poterunt, si velint, instrumenta conficere.

Irreuerentia illa ab Ecclesia penitus tollatur, qua sponsi seinuicẽ deosculantes, & quidẽ aliqui sine vlla modestia, risum cõmouẽt, & murmurationẽ persæpe.

De Festorum obseruatione. Cap. XVIII.



Quia tam veteris, quàm noui testamenti pagina septimum diem ad humanã quietẽ deputauit, & tam eũ quàm alios Maiestati altissimæ deputatos, necnon natalitia Sanctorum Martyrũ Ecclesia decreuit obseruanda, & in ipsis ab omni opere seruili cessandũ; in Ciuitate & Diœcesi nostris inuiolabiliter obseruari præcipimus Festa, quę sequunt.

MENSE IANVARII.
Circumcisionis Domini.
Epiphaniæ Domini.
Cathedræ S. Petri Romæ.
Conuersionis S. Pauli Apostoli.

FEBRVARII.
Purificationis Beatæ Mariæ.
Cathedræ S. Petri Antiochiæ.
Sancti Matthiæ Apostoli.

MARTII.
S. Thomæ de Aquino.
Gregorij Papæ.
Annuntiationis B. Mariæ.

APRILIS.
Marci Euangelistæ.

MAII.
Philippi, & Iacobi Apostolorum.
Inuentionis sanctæ Crucis.

IVNII.
Barnabæ Apostoli.
Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ.
Petri & Pauli Apostolorum, & eorũ diem octauam.

IVLII.
Visitationis Beatæ Mariæ.
Iacobi Apostoli.

AVGVSTI.
Petri ad Vincula.
Dedicationis sanctę Marię ad Niues.
Transfigurationis Domini.
Laurentij martyris.
Assumptionis B. Mariæ virginis.
S. Rochi, ex voto vniuersitatis.
Diei octauæ Assumptionis.
Bartholomæi Apostoli.
Augustini confessoris, & Eccl. Doct.

S E-

SEPTEMBRIS.
Natiuitatis B. Mariæ Virginis.
Matthæi Apoſtoli.
Dedicationis S. Michaelis Archangeli
Hieronymi Conf. & Eccl. Doct.
OCTOBRIS.
Lucæ Euangeliſtæ.
Simonis & Iudæ Apoſtolorum.
NOVEMBRIS.
Feſtum omnium Sanctorum.
Andreæ Apoſtoli.
DECEMBRIS.
Ambroſij Epiſcopi, & Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.
Conceptionis B. Mariæ.
Thomæ Apoſtoli.
Natiuitatis Domini.
Stephani protomartyris.
Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ.
Omnes dies Dominicos.
Paſchatis Reſurrectionis Domini cũ duobus ſequentibus.
Aſcenſionis Domini.
Pentecoſtes cũ duobus ſequentibus.
Corporis Chriſti, & eius diem octauam, de mane tantùm.

Parochi Populum admoneant, quo nam modo ſint dies Feſti ſanctificandi, & à quibus operibus abſtinendum, & quando, declarantes (rudibus præſertim) dierum feſtorum obſeruationem incipere debere, ex generali Eccleſiæ cõſuetudine, à media nocte pręcedẽtis diei, vſq; ad mediã noctẽ ſequẽtis feſti. In olearijs vèrò, ac frumẽtarijs tãtùm molendinis toleratã hactenus conſuetudinẽ, ob populi neceſſitatẽ permittimus, vt circa eorũ laborẽ ab occidente ſole præcedentis diei, vſq; in ſequentis occaſum feſta ſeruentur: quæ etiã ſi inter hebdomadam inciderint, ab huiuſmodi operarijs cultu debito defraudari nolumus, nec quidem ad horam, etiam ſub prætextu inchoati operis abſoluendi.

Quando licentia ab Epiſcopo concedetur piſcandi in caſibus à iure permiſſis, Piſcatoribus aliquibus, tunc ijdem exhortentur, ne Miſſam audire omittant: ſi ſecus facere deprehenſi fuerint, per Vicarium condigna pœna puniantur.

Quoniam non habet legem neceſſitas, & ſabbata facta ſunt propter homines, & vendi cõceduntur in die

festo, quæ ad illius diei vsum necessaria sunt, vt panis, vinum, oua, lacticinia, olera, fructus, maximè qui de facili corrumpuntur, & quibus indigemus quotidie, carnes, quæ paratæ sunt die præcedenti, & vendi non potuerunt; sed prohibentur animalia mactari diebus ipsis festiuis, nisi fortasse aliud pietas suadeat propter infirmorum necessitatem, vel quando ob maximos calores vix est vt ad breuem etiam horam conseruentur ne putrefiant; sed in istis nihilominus casibus licētia semper impetretur ab Ordinario, qui vt moris est in hac Ciuitate, non eam eidem qualibet vice concedat, sed modò vni, & modò alteri, idq; seruetur etiam in terra Cisternini nostræ Diœcesis, vbi Vicarius foraneus poterit huiusmodi licentiam impartiri. Laniones autem, & alij dum vendunt, Tabernæ hostium ex parte clausum habeant, ijsdemq; diuinorum officiorū tempore vendere omnino prohibeatur. Piscatores diebus illis festiuis, quibus carnibus vesci nō licet, pisces vendere non interdicantur, extra tempora diuinorum officiorum: quod etiam declaratur in vendentibus pullos, & alias aues, præsertim ad vsum infirmorum.

Quia nō sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonum est, admoneant populum Parochi, vt tēpus illud, quod redimere debemus ex vana nostra cōuersatione, & ad Dei gloriā bonis operibus sanctificare, non conteramus; sed Ecclesiam quisq; fidelis adeat ad Missam, eam maximè quæ decantatur, sacrasq; conciones audiendas, ac etiam Vesperas præsertim pontificales. Ludis, Amatorijs, Rebus scurrilibus, Alijsq; vanitatibus non vacent.

Et

Et abusus ille tollatur tum edicto publico pœnis propositis condignis, tum etiam paternis adhortationibus, quo multi, idiotæ præsertim, ac rustici, post mediam noctem vsque ad orientem solem, persæpe in die festo etiam solemniori, cithara & cantu impurissimarum rerum obstrepentes, piorum hominum, ac puellarum simplicium aures obtundunt; & dum corda Domino præparare deberent, ipsorum animas peccatis aggrauant, idq; etiam interdiu maximo cum bonorum scandalo facere non erubescunt.

Laruæ quoque prohibeantur, dum in Ecclesijs officia peraguntur diuina: sed non omittant Parochi matribusfamilias consulere, ne permittant earum filias, & puellas tempus turpiter consumere in speculis & fenestris, amatores, vt aliàs admonuimus, etiam sub prætextu quod nubere velint, periculosè, atque etiam inutiliter remorando: quod quidem, vt exemplo didicimus, nonnũquam multorum malorum in Christiano populo rudi ac humili seminarium extitit.

Torneamenta quoque, choreæ, & similia, cum maximè damnosa sint diebus festis, eo tempore, quo sacra fiunt, nullo pacto permittãtur, præsertim prope Ecclesias, & loca pia, & in loco publico, *Impij enim in circuitu ambulant, vt interficiant innocentes.*

Abusus ille commodandi boues in celeberrimo die festo Sanctorum omnium aliquibus pauperibus pro animabus, vt aiunt, mortuorum eius qui boues commodat, penitus tollatur: id enim ex auaritiæ petentium fomite procedit, qui, vt aliquid superlucrentur, festiuissimam solemnitatem inhonorant, ipsorũ agros

excolendo,contra quos per Vicarium tamquam cōtra Festorũ violatores ad præscriptum Extrauag. felicis recordationis Pij V.procedatur.

Prohibemus etiam onera iumentis,atque vehiculis per agrum nostræ Diœcesis festiuis ipsis diebus asportari,nisi fortasse euectiones huiusmodi cœptæ iam fuerint,sintq; longius progressuræ.

Mercatus,Nundinæue die Festo non fiant,sed in sequentem transferantur, neq; amplius iuxta Ecclesias, sed alibi opportuniori loco pro populi commoditate.

De obseruatione Ieiunij. *Cap.* XIX.

Q*VI abstinens est, adijciet ad vitam.* Ieiunium itaque, quod in Ecclesia Dei tantoperè ab omnibus laudatur, nos Clero & populo nostro plurimùm in Domino commendamus, admonentes illud in primis, ieiunium magnum & generale esse,abstinere ab iniquitatibus,& ab illicitis voluptatibus sæculi,& quasi Quadragesimā abstinentiæ nos celebrare,cum benè viuimus,*expectātes illam beatā spem, & reuelationē gloriæ magni Dei,& Saluatoris nostri* IESV CHRISTI, in qua cum fuerit de spe facta res, accepturi sumus mercedem & denarium.

Omnes igitur Christifideles, quos Ecclesię legibus obstrictos esse, se non ignorare confidimus, omnibus Quadragesimæ diebus,Dominicis exceptis, & in Quatuor anni temporibus,vigilia Natiuitatis Domini,Assumptionis Beatæ Virginis, Sanctorum omnium Apostolorum,præterquā Ioannis Euangelistæ, & Philippi & Iacobi,quæ non ieiunantur,Item diei festi omnium

San-

Sanctorum, Natiuitatis Ioãnis Baptistæ, & Beati Laurentij abstineant à carnibus, ouis, caseo, alijsq; lacticinijs, quæ sementinam carnis originem trahunt; hisq; diebus vnica tantùm refectione sint contenti post meridiem; etsi propter naturæ imbecillitatẽ, ad ipsiusq; sustentationem perexiguum ientaculum de sero, nõ tamen loco cibi, sumere volentibus licitè concedatur. Infirmi tamen, prægnantesq; mulieres, & alij, quos vrgẽs necessitas, vel imbecilla ætas, aliauè iusta causa cogit, ieiunij lege non astringuntur.

Verùm quia nõnulli suæ salutis immemores diebus illis, quibus ex præcepto ieiunare tenentur, ad eorum libitum comedunt non semel tantùm, sed de mane, & sero quemadmodum & in alijs temporibus, idq; palam faciunt, & absque conscientiæ scrupulo, vt verbis ac operibus significare videntur: Ideo curæ sit Parochis tum in eorum cõcionibus ad Populum, tum etiam pænitentium confessiones audiendo, huiusmodi hominum genus redarguere, peccati grauitatem illis aperiendo; quoties enim quis legitimè non impeditus Ecclesiç ieiunium frangit, mortalis peccati reus efficitur: & si quando aliqui excusationem afferunt non posse se vel inediam ferre, vel quid simile effingunt; tunc eosdẽ admoneant, esse valde cuiq; periculosum de seipso iudicium facere; sed Medicum adeant, qui benè ipsorum excusatione necessitateuè perspecta, quid isto casu faciendum sit, ipse deliberet, ac de omnibus certiorem faciat Episcopum, vel eius Vicarium, vt licentiam de peritorum consilio vel denegent, vel concedant.

Sunt præterea & ij quidem maxima reprehensione

 digni,

digni, qui ieiunij tempore absque rationabili causa, & non impediti, satisfacere se data pecunia credant: nam quemadmodum iure cauetur, debitor aliud pro alio soluens inuito creditore non liberatur; quomodo vel pecunia, vel ieiunium eius, qui & ipse ieiunare pro se tenetur, pro nobis etiam satisfaciet, & mortificabit membra nostra? Tales igitur doceantur onera sibi tangentia supportare, cum possint. scriptum est enim: *Ieiunauimus, & rogauimus Dominum, & euenit nobis prosperè.*

Admoneant Parochi Populum, mulieres pręsertim, vt ab inanibus superstitionibus caueant: sunt enim nõnullæ, hoc experientia docente, quæ certis Sanctorum vigilijs perniciosa quadam obseruatione ieiunant, nõ vt Ecclesiæ præceptis obediant, non ad culpæ deletionem, eleuationemq; mentis ad æternitatis gloriam, vtq; cum spiritus ac vitæ nouitate resurgãt, sed (quod amarius est dolendum) ad sortes, quemadmodum, vt alia silentio prætereamus, faciunt illæ, quę Dæmonum suggestionibus illusæ in vigilia sancti Ioãnis Baptistæ nihil omnino comedunt præter placentulam vnam ex duabus salis & altera farinę partibus confectam, diem totam, atque etiam noctem, absq; potu transeuntes, & credunt in somnis appariturum sponsum, qui sibi tribuat, vnde sitim restinguant, hostisq; humani generis illusionibus, ac proprijs ipsarum abstractæ concupiscentijs, & illectę decipiuntur. Non est igitur quid admirentur, si quod affectant, somniant aliquando, cum id ex præcedenti animi ad malum præparatione, & ex turpibus, obscœnisq; cogitationibus, quibus delectan

tur,

tur, ex naturæq; necessitate proueniat ob huiusmodi ciborum ariditatem.

Sciant Christifideles in vigilia Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI debere omnes non ludis & commessationibus, sed pietatis operibus, diuinis officijs, ac orationibus vacare, pro tanta diei solemnitate: & cum celeberrimum istud festum Feria sexta, vel Sabbato aduenerit, carniũ esus indulgetur, qui tamẽ astricti voto sunt, ijs diebus ieiunare, & à carnibus abstinere debebunt, & voto satisfacere; idq; ipsum deuotionis causa vnicuique licebit.

Quadragesimæ totius tẽpore caueant Laniones, Tabernarij, Caupones, & alij quicumque carnes, cibosq; alios vetitos venales habere, vel in eorũ domibus parare, nisi de scripto licentia ad infirmorum vsum: quę facultas non cuicumque vendere volenti cõcedatur, sed aliquibus tantùm pro populi necessitate: quæ, vt hactenus seruatum fuit, gratis omnino detur. Aduertantq; diligẽter, nè carnes, aut alia lacticinia personis huiusmodi licentiam non habentibus vendant, sub pœna tam ementibus, quàm etiam vendentibus amissionis rerum venditarum, & aliàs arbitrio Ordinarij puniantur: Modusq; seruetur in prędictarum rerum vẽditione supra in dierum Festorum tempore cõstitutus.

Dum in Ecclesia nostra Cathedrali sacra habebitur concio, quò facilius omnes ad audiendum Dei verbũ conueniant, apothecæ omnes claudantur, lites in foro sileant, ludi præsertim adolescentium prohibeantur: scholarum magistri pueros suos, ac discipulos concionibus interesse sollicitè curent, nè illud sibi contingat

impu-

imputari, *Tempus faciendi Domine dissipauerũt legem tuã.*

Domini, & si omni tempore tenentur paternam ser uorum suorum, ac ancillarum curam gerere, quia *vnicuique mandauit Deus de proximo suo:* sacris tamen ijs diebus ipsorum opera vti remissius, ac humanius debebunt. Meminerint igitur illis cum austeritate non imperare, sed eos, quoad fieri poterit, propriæ ipsorum saluti, & conscientiæ consulere permittant, & quemadmodum ceteros Missarum celebrationibus, & concionibus interesse, ac orationibus suo tempore vacare.

Lignea septa in Ecclesia nostra Cathedrali, vt moris est, in Quadragesimæ initio ponantur, quibus feminæ diuiduntur à maribus; sed admoneant concionatores in ipsorum concionibus matresfamilias omnes, ne pueros, ac infantes ad Ecclesias secum ducant, quantum fieri potest, vt eorum vocibus, ac vlulatibus, concionem, ac auditores omnes turbari & distrahi nõ cõtingat.

Eleemosynæ inter concionem, & dum peraguntur diuina, non quærantur; sed officio peracto ad valuas Ecclesiæ peti non prohibentur.

Sciant cuncti in Ecclesia Dei esse prohibitas confabulationes, ac vana omnia omni tẽpore; sed Quadragesimali præsertim, & dum fideli populo verbum Dei prædicatur.

Concio de Passione Dñi nostri IESV CHRISTI, quæ solebat aliquoties haberi, vel Feria quinta circa horam secundam noctis, vel interdum post mediã noctem, habeatur de cetero Feria sexta in Parasceue, summo mane, vel sub aurora, vt scandalis, quæ persæpe solent

lent oriri, dũ ambulamus ĩ tenebris, auferatur occasio.


Abusus extirpetur omnino illarum virginum, præsertim nobilium, quę ad sacram istam concionem non ea, qua decet ornatus ac habitus modestia, sed comptè, superbeq; vltra quàm par sit, accedunt: quare ipsarum Matres à Parochis admoneantur, vt filias suas ab huiusmodi vanitatibus auertant.

Confratres Societatis sanctissimi Corporis Christi, Rosarij, Conceptionis Beatæ Virginis, & similes, qui post feriam quintam in Cœna Domini de nocte sepulcra Saluatoris nostri per omnes Ciuitatis Ecclesias Parochiales, & alias Regularium quot annis processionaliter visitare solent, omnem sollicitudinem adhibeãt, ne mixtim cum mulieribus incedant, & luminaria deferant tum in capite processionis, tum etiam in medio, & post eos, vt aliqui ipsorum timoratæ conscientiæ viri modò huc, modò illuc accurrentes videant, an processionis ordo seruetur, an sodales tumultuariè gradiantur, an psalmos, preces, & litanias ex eorum instituto canant: & in summa, omnia an rectè agantur; & si quid viderint animaduersione dignum, illud prohibeant, ac emendent.

Sepulcra fiant pio aliquo ornatu, atque decenti composita, vt verè dici possit, *Et erit sepulcrũ eius gloriosum*, in quibus vllo pacto laruæ non apponantur, imaginesuè, quæ possint risum excitare.

Noctu repræsentationes non habeantur; & in die Sabbati sancti nullus siue sęcularium, siue regularium signum dare Resurrectionis Domini ante Ecclesiam Cathedralem præsumat.

De Sacrosanctis Ecclesiis, Cœmeterijs, atque religiosis domibus. Cap. XX.



I Proconsules ac legati in aliquam celebrem Ciuitatem, vel Prouinciæ caput aduenturi, sacras gentilium ædes, & delubra circuire inspiciendi gratia, an sarta tectaq; essent, vel aliqua refectione indigerent, & si quæ cœpta forēt, vt consummarentur, prout vires eius Reipublicæ permittebant, curare tenebantur; quid Episcopum hac in re, Clerúq; vniuersum, atq; fidelem Christi populum deceat, satis innotescit, Regio quoque Propheta dicente: *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Templum Dei sanctum est*, in quo orat Sacerdos pro delictis & peccatis omnium; quod si sanctum, solicitè caueamus, vt quod eget reparatione reparetur, vetustateuè collapsas, aut aliàs collabentes Ecclesias refici instaurarique ex eorum fructibus, & prouentibus quibuscunque procuremus, ne & quæ sacris ministerijs dedicata sunt, temporum iniuria obsolescant, & ex hominum memoria excidant. Sed in Ecclesijs nostris circa Oratoriorum, Monasterij monialium, Hospitalis, ac religiosæ cuiuslibet domus, Cappellarum, Altarium, Baptisterij, Sacristiæ, Sepulcrorum, alteriusuè loci pij quocunque nomine censeantur, nouam constructionem, & reparationem, etiam de consensu nostro, vel successorum nostrorum faciendam, Ecclesiæ Mediolanensis fabricæ instructiones omnino seruentur.

Quoniam verò *Domum Dei decet sanctitudo*, in Ecclesijs nihil organo siue cantu lasciuium, aut impurum mi-

miſceatur: item in eis ſæculares omnes actiones, vana atque profana colloquia, ſæculares conuentus, iudicia, deambulationes, ſtrepitus, commeſſationes, clamores, puerorum ſcholæ, homines ſclopetis armati, militarium ſtipendiorum ſolutiones, mulierum ac virorum in defunctorum officijs voces & planctus, ac adoleſcentes & iuuenes illi, qui præ Eccleſiæ foribus inſpiciendarum feminarum cauſa morantur; Altaribus innitentes, & ſimiles per hebdomadæ Præfectum, ſiue Cæremoniarum magiſtrum, vel eum, cui id muneris à præfecto demandatum fuerit, prohibeantur, niſi maior adſit dignitas, cui eo caſu inferior cedere habeat.

Nemo deinceps Eccleſiam ædificet, vel Oratorium in agro ſine Epiſcopi licentia in ſcriptis obtinenda, qui & locum deſignet, quiduè in eis ad diuinum cultum neceſſarium videbitur conſtituat, ac de omnibus ijs prouideri mandet, ſine quibus Miſſæ ſacrificium fieri non poteſt.

Cum ſacræ Sanctorum imagines in Eccleſijs & Oratorijs erunt depingendæ, ita fiant, vt nullius falſi dogmatis errorisque perículoſi rudibus occaſionem præbeant, nulla denique inſolita in Eccleſijs noſtris ponatur imago, quæ prius approbata à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris non fuerit: quod ſi quis contra fecerit, arbitrio Ordinarij puniatur.

Eccleſiæ omnes claudantur de mane diuinis peractis officijs vſque ad Veſperas, & ſtatim dato ſigno ſalutationis Angelicæ in Cathedrali, de ſero, eo tempore excepto, quo in ea Quadraginta horarum habetur

oratio, vel aliàs, vbi consueuit, ex vniuersalis Ecclesiæ ritu Ecclesias omnes omnibus patere.

Laici & quicumque alij sepulturas habentes in Ecclesijs, eas aptari quamprimùm curent, vt malus odor inde prohibeatur: aliàs si infra certum tempus à nobis præscribendum, edicto moniti non paruerint, omnibus iuribus, si quæ fortasse prætendunt, eosdem priuari volumus, vt alijs possint liberè concedi.

Cœmeteria omnia, vbi fieri commodè potest, parietibus sepiantur, ad eaq; animalibus quibuscumque ingressus præcludatur, & caueant Parochi, ne quid in eis immundum fiat, præsertim à pueris.

Et si nemo ignoret, non debere in Ecclesijs sepeliri, qui ad Ecclesiam non pertinent, vt Infideles, Iudæi, Hæretici omnes, excommunicati, publicè interdicti, vsurarij manifesti in peccato mortali notoriè morientes, præsertim in duello: tamen admonentur Parochi (ne aliquando decipiantur) vt pueros non baptizatos in Ecclesijs, vel earum Cœmeterijs non sepeliant, neq; mulieres prægnantes, nisi prius secto ventre ex eis extrahatur fœtus, si credatur eum viuere.

De Horis Canonicis. *Cap. XXI.*


CVM septies in die laudes Deo dicere, & decantare teneamur, denturq; beneficia Clericis propter officium; omnes quot quot in Ciuitate nostra sunt, ac Diœcesi, Canonici, Presbyteri, & alij sacris ordinibus insigniti, vel etiam Clerici beneficiati, ad diuini officij horarumq; recitationem teneri se

sciant,

ſciant, negligenteſque vltra mortalis peccati reatum, ſi legitimè non fuerint impediti, ad fructuum reſtitutionem pro rata ſunt obſtricti, vt ſi quis ecclesiaſticorum prouentuum carolenos triginta menſe quolibet percipiat, ſi vnius diei officij recitationem omittat; vnius caroleni reſtitutioni reputabitur obnoxius, & aliàs huiuſmodi poterunt, iuxta Lateranenſis ſtatuta Concilij, ipſorum creſcente contumacia, etiam beneficijs ipſis ab Ordinario legitimè priuari.

Igitur ecclesiæ noſtræ Cathedralis dignitates, Canonici, Sacerdotes, Portionarij, Supernumerarijque, Diaconi, Subdiaconi, & alij Clerici ad ſtatas horas iuxta ſeruitij diſtributionem à Capitulo factam, hebdomadibus ſuis ad officium nocturnum, ac etiam diurnum omnino conueniant, ſub pœna exigi conſueta; idemque in ecclesijs alijs Parochialibus tum Ciuitatis, tum Diœceſis ſeruari in Domino decernimus.

Quocumque anni tempore pro Matutino officio tam in Cathedrali, quàm in cæteris Ecclesijs Ciuitatis huius & Diœceſis ante auroram ſignum detur per horam, in qua ſe commodè præparare poſſint hebdomadarij; ſub aurora tamen omnino ante Solis ortum inchoetur, & congruenti temporis interuallo, non celerius videlicet aut tardius, quàm par eſt, quando ſacra præſertim habebitur concio, vel Pontificalia fuerint exercenda, pro populi commoditate, quoad decentius fieri poterit, abſoluatur.

De ceteris horis recitandis, & Miſſis celebrandis, rubricæ Romani Miſſalis, & Breuiarij ſeruentur.

Veſpe-

Vesperarum signum in hyeme & vere hora vigesima; in æstate & autumno hora decimanona, & post mediam horam à dato signo vesperæ inchoentur.

Hortamur omnes in Domino, vt quicumque Canonicis horis, alijsque diuinis officijs intersunt, in primis Deum ipsum recogitent, cui debitores sumus; quia creauit & fecit nos, & redemit nos in sanguine suo. nam si primo loco distributiones quotidianas quærerent, Deum summum bonum rebus, quæ nihili sunt, postponerent, peccarentque mortaliter, simoniacam prauitatem animo saltem committentes. Curent igitur seipsos, atque eorum mentem ita disponere, vt prius Iesum Christum quærant, & quæ eius sunt, & postea sua, omniaque adijcientur ipsis.

In choro adsistant, ea qua decet modestia, & attentione officium recitent, siue decantent, non cursim, non oscitanter, non se inuicem præuenientes: sed in versiculis omnibus adhibita pausa, Scriptura dicente: *Quoniam Rex omnis terræ Deus psallite sapienter.*

Quicumque etiam extra Chorum Horas recitant, ab omnibus caueat, quibus aut seruitutis suæ pensum amittant, aut Dei indignationem incurrant; atque ijs vtantur calculis, quibus indulgentiæ à sanctissimo Domino nostro impartiuntur, vt negligentia ijs non imputetur, sed ea occasione desides non fiant, cum Deo benedicto corda omnium pateant.

Vesperæ semper decantentur.

Horæ matutinæ vsque ad Primam exclusiue in Duplicibus & Semiduplicibus, in Solemnioribus verò festiuitatibus totum decantetur officium, scilicet.

Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.
Paschatis Resurrectionis.
Ascensionis.
Pentecostes.
Sanctissimæ Trinitatis.
Corporis Christi, & per octauam.
Conceptionis Beatæ Mariæ virginis.
Natiuitatis.
Annunciationis.
Visitationis.
Purificationis.
Et Assumptionis, & per octauam.
Omnium Sanctorum.
Et Dedicationis propriæ Ecclesiæ.

Absentes à punctatoribus, vt aiunt, notentur, caueantque omnes ab omisione Horarum Canonicarum in Tabella iussu nostro edenda descriptarũ, pro quibus omnino mulctas exigi præcipimus per eum, cui id muneris à nobis vel Vicario nostro demandatum fuerit.

Quoniam qui de Altare viuit, Altari deseruire tenetur; admonentur omnes, Canonici præsertim, vt alacri promptoq; animo ad Ecclesiam conueniant, muneriq; suo satisfaciant: Chorum nullo pacto deserant, nisi fortè ex causa infirmitatis, vel aliàs fuerint impediti, nobis seu Vicario nostro per Punctatorem certioribus factis, quare non possint diuinis officijs interesse: qui autem absque legitima causa, etiam si in ciuitate sint, Ecclesiam deserent, iuxta Concilij Tridentini, & aliorum sacrorum Canonum dispositionem, sciant se omnino fore plectendos.

Cum multa in Ecclesijs nostris piè legata ad diuinum cultum, atque Ecclesiastica munera certò obeunda sint constituta, ne qua in parte fraudentur in Ecclesijs Ciuitatis & Diœcesis nostræ statuimus, redditus illos, qui ex testatorum relictis ratione celebrationis Missarum, & Anniuersariorum percipiuntur, necnon & eleemosynas pro Missis votiuis, & funeralibus elargitas iuxta benefactorum voluntatem interessentibus tantùm, ac seruientibus fore distribuendas: ex quibus videlicet anniuersarijs & funeralibus solummodò certa pars infirmis, qui dum sani erant, Ecclesiæ inseruire consueuerant, assignetur, iuxta Ecclesiæ nostræ consuetudinem. Distributiones verò eorundem legatorum & eleemosynarum sabbatis singulis fiant pro rata seruitij per eos ad quos spectat. Nec pecuniæ huiusmodi ad alium conuertantur vsum per Procuratorem Capituli, seu alium quemcumque sub latæ sententiæ excommunicationis pœna.

Mulctæ siue pœnæ absentium Horarum Canonicarum ratione, prout hactenus fieri consueuit, exigantur omnino.

Vt in Ecclesia cuncta ordine peragãtur, omnes hortamur, admonemusq; paternè, Archidiaconum scilicet, Archipresbyterum, Primicerios, Canonicos, Parochos, Presbyteros, & quotquot sunt Clerici, in Ciuitate, & Diœcesi nostra, vt quisque gradu suo contentus, alterius locum nõ præoccupet, iniunctum sibi onus tum ex Canonum dispositione, tum etiam ex recepta, approbataùe Ecclesiæ nostræ consuetudine libenter ferat: qui enim vocantur ad honores, elaborare non recusent,

cuſent, Archipresbyterum, præſertim Epiſcopo abſente vel impedito, eius in ſolemnioribus diebus vices gerere mandamus, vt Miſſarum ſolemnia, & Veſperarum pro eo vel ipſe peragat, vel alteri committat, fonteſque benedicat.

De Canonico Theologo. *Cap.* XXII.

NE cæleſtis ille ſacrorum librorum Theſaurus, quem Spiritus ſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat; Canonicum in Eccleſia noſtra Cathedrali præbendam, ac portionem theologales obtinentem per nos & Capitulum noſtrum nuper fundatas & erectas ad ipſius ſacræ Scripturæ expoſitionem & interpretationem per ſe ipſum diebus omnibus Dominicis vel de mane vel etiam poſt veſperas pro temporis neceſsitate, & commoditate, atque in alijs ſolemnioribus feſtis per annum, teneri volumus, & præcipimus: Alijs verò diebus, ac temporibus id munus pro Cleri vtilitate ad præſcriptum Epiſcopi explicare non omittat, idque ſaltem ſemel in hebdomada, vt ipſius etiam commoditati aliquo pacto conſulatur.

Illis verò diebus, quibus erit huiuſmodi lectionibus impeditus, vt liberius ſcripturarum ſtudio vacare poſſit, à Choro intelligatur exemptus: de cetero autem ſi muneri ſuo non ſatisfaciat, etiam tamquam Canonicus nulla gaudeat punctationum immunitate.

Stallum ipſius in Choro & Capitulo, locuſque in proceſſionibus, & vbique primus ſit omnium Canoni-

corum pôst quatuor dignitates perpetuis futuris temporibus, idque intelligatur expresse sine præiudicio modò superuiuentium.

De Canonico Pænitentiario. Cap. XXIII.



Voniam in Ecclesia nostra Cathedrali ex præscripto sacrosancti Concilij Tridentini diuina nobis annuente clementia Canonicum Pænitentiarium instituimus, aptiorem quidem pro loci qualitate, quem inuenire potuimus; hac præsenti perpetua constitutione edicitur, vt quandocũque Canonicatum huiusmodi vacare cõtigerit, semper Pænitentiariæ officio intelligatur reseruatus, cũ omnibus iuribus, honoribus, oneribus, & pertinentijs suis.

Pænitentiario pro tempore ea intelligatur concessa facultas absoluendi, & dispensandi in irregularitatibus & suspensionibus, quæ per nostras sibi patentes litteras specialiter concedetur.

Verumtamen caueat ne à casibus in Bulla Cœnæ Domini specialiter reseruatis absoluat; neque etiam ab ijs quos Episcopus ipse voluerit interdum sibi reseruare. Illudque meminerit in primis, ne sibi delegatam absoluendi potestatem alijs subdeleget, quod ei prohibetur expresse; qui nihilominus dum confessiones in Ecclesia audiet, præsens in choro censeatur.

Episcopo solemniter celebranti, nisi aliud pænitentium necessitas, vel pietas expostulauerit, adsistat cum Canonicis.

Teneatur autem à die adeptæ Canonicatus possessionis,

sionis, antequam supradicto muneri se immisceat, iuramentum præstare in manibus Episcopi, vel eius Vicarij sub infrascripta forma:

Ego N. Reuerendissimi D. mei Episcopi N in Ecclesia maiori Monopolitana Pænitentiarius, ab hac hora in antea ero fidelis beato Petro, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & sanctissimo D. nostro, D. N. Papæ, eiusque successoribus canonicè intrantibus, ac D. meo N. Monopolitano futurisque pro tẽpore Episcopis Monopolitanis. Et pro confessionibus audiendis, vel absolutionibus, faciendis, seu alijs, quæ spectant ad meum officium, nihil omnino per me, vel per alium exigam, vel petam, aut recipiam, sub titulo, vel specie eleemosynæ, vel xenij, seu mutui, vel alio quouis modo. Et non absoluam, vel dispensabo scienter in aliquo casu mihi non commisso, neque quemquam scienter absoluam à peccato, vel peccatis aliquibus in aliquo casu ambiguo, nec etiam in huiusmodi casu ambiguo scienter cum aliquo dispensabo, nisi de speciali mandato Superioris, cui exprimam dictum casum, sine alicuius reuelatione personæ, vel expressione. Et non iniungam pænitentias pecuniarias expresse mihi, vel alicui personæ applicandas: Super restitutionibus iniungendis & faciendis seruabo prout per dictum D. N. Episcopum est ordinatum. Et supradicta omnia & singula promitto, & iuro attendere, & obseruare sine omni dolo, & fraude, ac malitia: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Pænitentiarij sedes ceteris sit eminentior, & in ingressu Ecclesiæ constituatur è regione Altaris maioris, ad cornu Euangelij, adeò quòd scabellum pænitentis sit ab altero latere. Numquam sedeat ad confessiones audiendas absque superpelliceo, & stola, ha-

beatque virgam in manu sua in signum potestatis, & iurisdictionis, confessionesque non audiat, nisi celebrauerit prius, vel Missæ sacrificio interfuerit, si commodè fieri potuit, vt se, piumque opus, quod est inchoaturus, confiterique volentes Deo commendet, & quæ in ipso est incœpturus, per ipsum cœpta finiantur.

De Magistro Cæremoniarum. Cap. XXIIII.

VT in Ecclesia nostra nihil desit, quod ad diuini cultus augmentum, splendorem, dignitatemque pertinere videatur; Magistri Cæremoniarum officium nuper de consensu nostro, certa eidem assignata portione de communibus bonis per Capitulum est erectū: & ne temporum fortasse iniuria destituatur, edicimus, vt quemadmodum Magistri ipsius Cæremoniarum electio ad Capitulum spectat; ita per idem officij vacatione occurrente de persona prouideatur, quæ muneri huic sciat & valeat in Domino satisfacere, & quam meritò confirmare possimus. Verùm quia valde felix censendus est ille, qui officium vnum benè potest adimplere; prohibemus, ne vllo vnquam tempore (neque etiam vacante sede) is eligatur, qui de numerarijs Ecclesiæ sacerdotibus existat. Et quamquam in officij huiusmodi electione Cæremoniarum Magister à Capitulo ad nutum amouibilis deputetur, vt Ecclesiæ indemnitati prospiciat: si tamen ipse prudenter, ac sollicitè in munere suo versetur, mutari saltem per triennium non possit, ne si primo, vel etiam secundo post electionem anno impensas fecerit in culturis adhibendis portioni suæ, nihilque inde

perceperit, quoniam sæpè mentitur opus oliuæ, ex labore suo damnum etiam patiatur. Et si fortè negligens in officio suo fuerit, & culpa sua amoueri contigerit, fructus suos non faciat, nisi pro rata temporis in quo seruiuerit.

Ecclesiæ assistat singulis Dominicis, necnon alijs, de præcepto festiuis, solemnibusque diebus, & horum vigilijs, & præcipuè in illis quibus Episcopus Pontificalia exercet.

Sed quoniam munus suum est Clericos rudes ad cæremonias peragendas instruere; cupimus, vt non solùm diebus supra dictis in Ecclesia sit, sed quàm frequentius potuerit.

Sed qui non erit seruitio Cathedralis ascriptus, de ipsiusque gremio, gaudeat nihilominus, qui huiusmodi munere fungitur, priuilegio communellæ, distributionum quotidianarum, & aliarum eleemosynarum, si iuxta Ecclesiæ constitutiones inseruierit.

Preueniat tempus celebrandi officium ipse Ceremoniarum Magister, vt omnia possit rectè cõstituere, demandareuè quæ necessaria videbũtur, ne fortè in exequendo eo actiones interturbentur, & confundantur.

Pontificali Romano det operam, & Ceremoniarum libro, qui nuper est impressus, vt ex ijs & approbata Ecclesiæ nostræ consuetudine, omnia iubeat, & moderetur.

Cartulam affigi curet in Sacristia, in qua, quid quoque die per hebdomadam agendum sit, demonstretur.

Defectuum tabellam, quæ iussu nostro propediem erit edenda, omnino obseruari curet.

Si cæ-

Si cæremoniarum Magiſter in Eccleſia portionem perpetuam, quæ Sacerdotibus numerarijs conceditur, conſequi voluerit, ea obtenta vacet officium, habita ratione laborum, impenſarumque per ipſum in altera portione factarum.

Parochi & Archipresbyteri in noſtra Diœceſi curent in ſuis Eccleſijs cæremoniarum Magiſtrum eligi pro tempore quem eis expedire magis videbitur: noſtræque Cathedralis conſtitutiones, quoad fieri poterit, obſeruent.

De officio Sacriſtæ. *Cap. XXV.*

SAcriſta cuſtodiam vaſorum ſacrorum, & veſtimentorum, totiuſque theſauri eccleſiaſtici habeat ex inuentario ab Archidiacono conficiendo iuxta Eccleſiæ noſtræ conſuetudinem.

Quæ ad luminaria pertinent ſiue in cera, ſiue in oleo curet.

Palia, vel Altarium linteamina, Eccleſiæque vtenſilia vniuerſa indeſinenter cuſtodiat.

Oleum, quod ab Altariũ patronis eſt ſibi iure ſubminiſtrandum, ſtatutis temporibus petat.

Paramenta lacera conſumi penitus non ſinat; ſed ea ſuo tempore ſolicitè reſarciat, vel reſarcienda Capituli œconomo denunciet.

Linteamina munda conſeruet.

Miſſarum ſolemnijs peractis, altaria tegat, ad præſcriptum viſitationis Apoſtolicæ.

Eccleſiæ pauimentum verri, purgarique parietes

faciat,

faciat, præsertim secus Altaria.

Tintinabulorum signa per singulas horas Canonicas ad Præfecti hebdomadæ significationem det, nisi maior adsit dignitas, cui parere teneatur.

Pueros & puellas acclamantes, canes, & cetera diuinum officium interturbantia ab Ecclesia reijci curet per Clericum Ostiarium, ex hebdomadæ præfecto, vel à maiori dignitate per singulas hebdomadas gradatim deputandum. Idemque omnino seruetur, ac exequi mandetur in eorum Ecclesijs, per Parochialium Rectores.

Ecclesiam dato vespertino salutationis Angelicæ signo omnino claudat: summo mane, ad Cleri & populi vtilitatem fores eiusdem pandat.

Aduertat autem, vt in cubiculo super sacristiam præsertim de nocte cum socio commoretur.

In magnis festiuitatibus maiori cultu Altaria, & totam Ecclesiam exornet.

Prohibeat pueros & puellas, ne vllo vmquam tempore aquam hauriant ex puteo, qui est sub sacristia.

Sanctorum reliquias, qua decet reuerentia, custodiat, & neque eas passim, neque omnibus ostendat, sed ijs, qui deuotionis gratia illas inspicere velint; & tunc luminibus accensis, genuflexi illas venerentur.

Sacrista, si in officio suo negligens erit, & ab Archidiacono siue altera ex Dignitatibus, aut Canonicis admonitus fuerit, & nihilominus in contumacia persistat, Episcopo denuntietur, qui eo ab officio remoto alium aptum ad Capituli præsentationem constituat.

De Custode Beatæ Mariæ de Madia. Cap. XXVI.

EXperientia didicimus, pijs fidelium oblationibus Cathedralis Ecclesiæ nostræ redditus, atque bona ex vniuersi populi pietate erga beatissimam Virginem de Madia Ciuitatis patronam, & Diœcesis, in dies augeri. & quoniam, vt vsu quoq; compertum fuit, non omnia hactenus, vti par erat, rectè gesta, & custodita fuêre; operæpretium fore duximus, custodem Sacelli, rerumque ipsius constituere, qui eorum omnium, quæ ad eiusdem Sacelli vsum tantummodò parantur adhuc, & offeruntur quotidie, sollicitam curam gerat.

Præcipimus igitur singulo quoque triennio per Capitulum nostrum, ex ipsorum numero Sacerdotem eligi de dilapidatione non suspectum, & probatæ vitæ, qui vel Canonicus sit, vel Portionarius, aliasuè ex supra numerarijs existat, quod certè magis optaremus, vt cōmodius custodiæ vacare valeat, qui onus huiusmodi nullo pacto recusare possit, & confirmetur ab Ordinario, in cuius manibus iuramento se obstringat Sacelli res diligenter, ac fideliter curaturum.

Qui omnia custodiat, aurea & argentea vasa, vota, cruces, & similia, necnon vestes, & linteamina, & cuiusuis generis paramenta, ad præfatum solummodo vsum applicata: exceptis eleemosynis, quæ pro Missarum celebratione dantur, quarum curam ad Præfectum communellæ spectare volumus, de quibus omnibus conficiatur Inuentarium iuxta Ecclesiæ nostræ consuetudinem.

Bona

Bona ipsius Cappellæ alteri non commodet, sine licentia Ordinarij, vel Capituli.

Maximam curam adhibeat, vt Sacellum præfatum lampadibus accensis noctu diuq; perluceat, & præcipuè in solemnitatibus Beatissimæ Virginis.

Quod in die festo Assumptionis, & per eius octauam, cum sit Ecclesiæ titulus, quàm fieri poterit magnificentius exornet, Beatissimæ Virginis effigiem perpetuò sericis, vel alio integmento obduci curet, præterquàm in summis festiuitatibus, quibus de licentia Ordinarij aperiatur, idque fiat non minus tribus lampadibus accensis, & duarum candelarum siue facum lumine.

Clericum habeat, qui sibi in eodem possit inseruire, cui aliqua merces ab Ordinario, & Capitulo constituatur.

Si negligens, vel in dolo custos reperiri contigerit, quamprimùm ab huiusmodi custodia remoueatur, & aliàs eum pro modo culpæ ad debitam satisfactionem compelli mandamus.

De Parochis. *Cap. XXVII.*

Ponit Deus custodes super Ciuitates suas, vt non cessent clamare tota die ac nocte. Attendant igitur Parochi oēs Ciuitatis & Diœcesis nostrę sibi & vniuerso gregi, in quo posuit eos Spiritus sanctus, tamquam nostri coadiutores, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant, scientes, quòd de eorum manibus animas populi requiret Dominus.

Vnusquisque diligenter agrum suum exerceat, & oues proprias agnoscat, quibus præsto sit. In memoriam reuocet, & diligenter obseruet quæ sparsim in hac synodo de ipsis edicta sunt.

Et cum prædicare sit officium Parochi, vt sciat necesse est quando, quidue ipse, & quomodo id agere & præstare debeat.

Omnibus igitur Dominicis diebus, & solemnibus festis, tempore Ieiuniorum, & Quadragesimæ,& Aduentus quotidie, si fieri potest, vel ter in hebdomada, aliasuè, quoties id opportunum iudicauerit: pascat plebes salutaribus verbis pro sua & ipsarum capacitate, & cum breuitate & facilitate sermonis, docendo quæ necessaria sunt ad salutem, & præcipuè annuntiando vitia, quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & gloriam cælestem consequi valeant.

Patres exhortetur, vt filios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat.

Omnes edoceat, fidelium actiones à Deo incipere, & in Deo desinere debere: Ideò ante & post corporis refectionem & dormitionem, teneri nos ex modulo nostræ capacitatis Domino benedicere, & Deo gratias agere.

Admoneat eosdem, vt librum habeant, quem memoriale vocant Ludouici Granatini viri pij, sed Parochi ipsi libros habeant huiusmodi ad Plebem instruendam, videlicet de animarum cura pertractantes, deuè casibus conscientiæ, & in primis,

Concilium Tridentinum.
Catechiſmum Romanum.
Catechesim Neapolitanam.
Rituale Romanum.
Conſtitutiones noſtras Synodales.
Martyrologium, & alios huiuſmodi, præſertim qui videbuntur aptiores pro munere concionandi.
Et libros ipſi conficiant, ſcilicet,
Baptizatorum.
Confirmatorum.
Coniugatorum.
Familiarum ſuæ Parochiæ.
Confitentium, & Communicantium.
Bonorum ſtabilium, & reddituum vniuerſorum Eccleſiarum ſuarum.
Morientium, in quibus obitus dies, ac ſepulturæ, ordine deſcribatur; & eorum quæ continentur in his libris nemini exemplum accommodent ſine licentia Ordinarij.

Pro adminiſtratione Sacramentorum pias conſuetudines obſeruari volumus, & prauas exactiones fieri prohibemus, & præcipuè in ſacramentis Pænitentiæ, & Matrimonij.

Animaduertant Parochi dare ſignum pro ijs, qui in extremo laborant, vt fidelis populus, eo audito pro illis oret.

Curam habeant de ſuis, qui extra Ciuitatem commorantur, vt in caſu neceſſitatis omnia Eccleſiæ ſacramenta percipiant.

Curent, vt habeant ædes Eccleſiæ ſuæ coniunctas,

vel saltem in Parochia.

Non discedant à sua Parochia sine Ordinarij licentia: & quando abesse contigerit, proximæ Parochiæ Rector munus absentis adimpleat, si necesse fuerit.

Cum nonnulla Sacramenta in administrando plurimorũ indigeant auxilio, debeantq; Clerici, & Presbyteri, præsertim Portionarij animarum curam coadiuuare: Ideo liceat Parocho, quando necessitas id expostulauerit, aduocare primo loco suæ Parochialis tunc temporis Hebdomadarios: qui si fortasse defecerint, vel pro decenti Sacramentorum administratione sufficere non videantur, possit eo casu conuocare etiam non Hebdomadarios. Teneãtur vero omnes ad signum campanæ ad id respectiuè dandum ad Ecclesiam conuenire. Contumaces vero pro qualibet vice caroleni vnius pœna, Ecclesiæ eidem applicanda, mulctentur, vel grauius puniantur Ordinarij arbitrio.

Cathedralis Ecclesiæ Vicarius in animarum cura, quem nuper eidẽ per nos certa atq; perpetua assignata portione pro Sacramentorum administratione, animarumq; cura exercenda, constituimus; post omnes Canonicos primum locum habeat in Choro, Capitulo, Processionibus, & alijs quibuscumque actibus, prout ab initio sui officij, etiam per Capitulum nostræ Cathedralis admissus hactenus fuit in possessione.

Sed inter Parochos seruetur prærogatiua Ecclesiarum Parochialium, scilicet, vt primus ordine sit Parochus Ecclesiæ sancti Leonis modo Parochiali sancti Saluatoris vnitæ, secundus existat Parochus eiusdem sancti Saluatoris, tertius sancti Petri, quartus sanctæ

Mariæ Amalfitanæ, quintus ſancti Angeli, & poſt omnes præfatus Vicarius Eccleſiæ Cathedralis. Idem vero in diſtributione eleemoſynarum partem habeat vt Canonicus, prout ad inſtar ceterorum huius Ciuitatis Parochorum habuit hucuſque.

A Choro ſit exeptus, & ab oneribus, videlicet Miſſarum celebratione per turnum, & Hebdomadarum pro anniuerſarijs: ſed eleemoſynarum quæ inter eos, qui interſunt anniuerſarijs, Miſſis votiuis, & mortuarijs diſtribuuntur, particeps fiat dum præſens in Choro fuerit, vel abſens pro animarum cura.

Qui habitant in Cryptis, vel in Caſale, quod vocant ſancti Cathaldi, eos ad curam ipſius Vicarij maioris Eccleſiæ pertinere dicimus, qui eis in caſu neceſſitatis prouidere debeat de Sacramentis è proximiori Eccleſia.

Cingaros, & pauperes vagos, & incertas habentes ſedes curet Sacramenta ſuo tempore ſuſcipere, & catholicam ducere vitam, & præcipuè qui in Hoſpitali noſtro diuerſantur, quos diligenter inſpicere debebit, & in dubijs rem deferre ad œconomos dicti Hoſpitalis, & Ordinarium.

Hebdomadæ Præfectus, ſeu Superior ibidem exiſtens eundem maioris Eccleſiæ Vicarium aſſociari curet ab Hebdomadarijs in adminiſtratione Sacramentorum, vt omni qua debet reuerentia miniſtrentur, præſertim extra Eccleſiam.

De nocte in caſu neceſſitatis Sacriſtam volumus, ac ſocios eum omnino comitari.

Clericis de more Eccleſiæ noſtræ vigilias celebrantibus

tibus idem assistat,& præsit,vt inobedientes corrigat, & absentes notet, quò suo tempore debita mulcta puniantur.

De Parochialibus Ecclesijs. Cap. XXVIII.


CVM Rectores, & eorum Presbyteri in suis respectiuè Parochialibus ab antiquo tempore pro rebus earum cõmunibus tractandis congregari soleant, absque tamen vllo præiudicio Præcedentiæ,quam super eas habet nostrę Cathedralis Capitulum, in cuius generalibus congregationibus pro cleri totius occurrentijs interuenire,& vocem habere ijdem dignoscuntur; præcipimus, vt de mandato Rectorũ,non tamen sine licẽtia nostra,vel generalis Vicarij ad suas particulares congregationes conueniant.

Et cum Sacerdotum numerus, qui tantummodò vocem habent in eis, sit paruus: ideò omnes, vel maior pars illorum in Capitulo conueniant, & duarum partium sententia præualeat.

Conclusiones coram omnibus extendãtur à Rectore,& ab Ordinario subscribantur.

Omnia denique in huiusmodi Capitulis, & Congregationibus seruentur,quæ in Ecclesia maiori,visitationeq; Apostolica sancita sunt; aliàs Conclusiones nullam vim habeant.

Sigillum habeat vnusquisque Parochus signo expressum Ecclesiæ Patroni,& Archiua in quibus recondantur tabulæ ipsius cum duabus clauibus, quarum vnam ipse Parochus, alteram antiquior Sacerdos penes se custodiat.

De immunitate Ecclesiastica. Cap. XXIX.

QVoniam multa pro Ecclesiarum immunitate Ecclesiasticarumq; personarum priuilegijs cum ex Canonum, tum etiam Conciliorum, summorumque Pontificum definitionibus scripta, sancitaque hactenus fuerunt; nihil est, quod in præsentiarum de ipsius Ecclesiasticæ libertatis obseruatione in hac Diœcesana nostra Synodo dicere possimus, præterquàm, quòd Parochis omnino præcipimus, vt in singulis eorum Parochialibus, quemadmodum in nostra Cathedrali Processum, siue Bullam in die Cænæ Domini legi solitam semel in anno, aut frequentius, si ita expedire videbitur, in maiori populi frequentia dum diuina peraguntur, vulgari eloquio solemniter publicent atque declarent, necnon alias per nos editas Constitutiones, præsertim in violatores Ecclesiæ libertatis, & pedagia, vt Clerici carius emant, imponentes, vel exigentes per se, vel per alios siue directè, siue indirectè, quos omnes anathematis mucrone damnatos cunctis ipsi patefaciant.

Multa nobis occurrebant de Monasterio, & Monialibus dicenda, de Hospitali, & de Domo sancta; sed quoniam de his omnibus in Apostolica visitatione publicanda diligentissimè pro loci, temporis, & personarum qualitate pertractatur; ea (quemadmodum & cetera eiusdem visitationis decreta) ab vniuerso Clero nostro, & alijs quibuscumque, quos huiusmodi tangit negotium, prout iuris fuerit, obseruari mandamus.

De vita & honestate Clericorum. Cap. XXX.


EM non nouam aggredimur, sed Patribus & sacris Canonibus placitam, & Diœcesi nostræ necessariam recolimus, mores scilicet & actus Clericorum, vt ex alto nobis permittitur reformare, & ibi præcipuè reformationis remedia apponere, vbi maius periculum imminere, & peccari frequentius vsu comperimus.

Et quoniam multi sunt Sacerdotes, & pauci Sacerdotes; multi in nomine, & pauci in opere; videndum est in primis, quomodo locum in Ecclesia Dei teneamus. Malè enim in Ecclesia locum tenent ij, qui eius curam negligunt, & temporalibus rebus tantùm intendunt: quod ex eo maximè prouenire didicimus, cum omnia ad suam vtilitatem referant, vt meritò dicatur ignominiam esse Sacerdotum proprijs studere diuitijs, & præsertim in Parochis pernitiosum, quorum custodiæ animarum salus innititur. Neque laudem in hoc mundo aut in futuro gloriam sibi comparare credant ex labore, & diligentia, quam in excolendis vineis, & oliuetis ponunt, cum interea sacræ ædes collabantur, & in sordibus iaceant, & seruitium non absoluatur, ad quarum reparationem, munditiam, & seruitutis officium illa bona fuerunt relicta. Huic malo nos occurrere volẽtes, fauente Deo quãprimùm Apostolicæ visitationis decreta publicari, vbi Ecclesię seruitium seruiendiq; modus definietur, necnon defectuum tabellam edi curabimus. Hæc interim, pauca quidem, sed vtilia statuimus, obseruariq; mandamus.

Profes-

Professionem suã Clerici omnes, ac Sacerdotes præcipuè & habitu probent, & incessu: Dei enim ministros ornatos esse decet, vt grauitate itineris, mentis maturitatem ostendant; incompositio quippe corporis, inæqualitatem indicat mentis: dissolutos & fractos vestibus & incessu non recipimus. Habitu ergo proprio eorum statui designato, cõgruentique tum in Ecclesijs, tum alibi, temporis ac loci qualitate pensata, semper vtantur.

Loquantur quæ decent sanam doctrinam, sintq; silentio discreti, vtiles, & in verbo cauti; ne aut tacenda proferant, aut proferenda reticeant: nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit; ita indiscretum silentium, eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit.

Et quoniam sunt nonnulli, quorum os maledictione plenum est; videant isti, ne si inuicem se mordẽt, inuicem consumãtur, illudq; meminerint susurronibus odium adesse, inimicitiam, & contumeliam; suntq; detractores Deo odibiles, & abominationes hominum. Estq; proprium stultitiæ, aliena vitia cernere, & obliuisci sua. Maledicos huiusmodi Episcopus, vel eius Vicarius suo arbitrio condigna pœna seuerè coerceant.

Caueant Parochi ne amittere humanam gratiã formidantes, recta liberè loqui pertimescant: nam iuxta Veritatis vocẽ, nequaquam gregis custodię Pastorum studio, sed mercenariorum vice deseruiũt, qui veniente lupo fugiunt, dũ se sub silẽtio abscondunt. Clament igitur, & ne cessent, & quasi tubæ exaltent vocem suã, & annuntient populo scelera eorum, vt si qui sunt adulteri, fornicarij, sacrilegi, concubinarij, bonorum

Ecclesiæ detentores, occupatoresuè, blasphemi, ac similibus irretiti criminibus, aliquando vel resipiscant, aut si moriuntur in peccato suo, & insonuerint ipsi buccina, eorum sanguis, de ipsorum manibus à supremo Iudice non requiratur; illud certò scientes, quòd nō potest esse Pastoris excusatio, si lupus comedit oues, & Pastor nescit.

Clericorum Hospitia aut raro, aut numquam mulierum pedes terant, quia non potest toto corde cum Deo ambulare, qui feminarum accessibus copulatur; ipsæ namque conscientiam secum pariter habitantium exurunt. Præcipimus ergo, ne sacerdos vllus, aut Clericus cuiuscūque conditionis, & ordinis existat, feminas, de quibus suspicio potest esse, retineat; sed neque illas, quas Canones cōcedunt: quod, prouidè inhęrentes dispositioni capituli primi de cohabitatione Clericorum & mulierum, statuimus in Domino.

Res Ecclesiasticas, quæcumque sint, conuenit cum omni diligentia, & bona fide, quæ Deo debetur, gubernari, atque dispensari, & quæritur inter nos, vt fidelis quis inueniatur. Clerici enim Ecclesię rebus tam quam commendatis, non tamquam proprijs vtantur, quas alienare, nisi in casibus à iure permissis, est nefas: valde enim iniquum, & ingens sacrilegium reputatur, vt quæ pro remedio peccatorum vel pro salute, & remedio animarum suarum quisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab ijs, quibus maximè seruari par esset, Christianis scilicet, & Deum timentibus hominibus, in alium transferri vsum, atq; conuerti permittatur.

Et

Et quia manifesta debent esse quæ ad Ecclesiam pertinent, vt si Rectori contigerit inopinatus transitus, nullo modo minui possint res Ecclesiæ, vel deperire; studeant Archidiaconus propterea, Archipresbyter, Primicerij, Canonici, Presbyteri omnes, & Clerici, & quot quot sunt in Ciuitate & Diœcesi Monopolitana beneficiati, quocumque nomine censeantur, quæ sua sunt agnoscere, & quę in Ecclesiarũ fraudem inutiliter sunt alienata, vindicare; ne, quæ tueri omnino promiserunt, in suarum perniciem animarum negligere videantur.

Quando per Kal. vel in Ciuitate, vel foris, demum quacũque vacatione post peractum diuinum ministerium simul ad refectionem conueniunt, ante ipsorum aliquis prior Versum incipiat, & cibum benedicat, & tunc ordine recumbant, alter alteri honorem præbentes, in ipsoque sacerdotali conuiuio pro Dei reuerentia (quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi) lectio sacrarum scripturarum immisceatur: per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur; postque refectionem Deo similiter gratiarum actiones habeantur, sicque huiusmodi ex charitate facta conuiuia non improbamus, si in eis nulla absentium vita mordetur, nullusque ex irrisione reprehenditur. A crapula verò & ebrietate omnes diligenter abstineant, vnde vinum sibi temperent, & se vino; nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis prouocet incentiuũ: vnde illum abusum, quo ad potus æquales suo modo se obligant potatores, & iudicio talium

plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exaurit, per antiquos Canones aboletum etiam ſub prætextu, & nomine charitatis prohibitum intelligi declaramus, ſub pœna vnius ducati arbitrio noſtro ad pios vſus eroganda.

Comœdijs & ſcurrilibus non interſint, neque vbi amatoria decantantur.

Cellis vinarijs ad Tabernariorum, atq; cauponum inſtar vino vendendo non præſint.

In laicorum famulatu non ſint, & fideiuſſionibus non inſeruiant. Ad opus rurale non exeant, neque ad collectionem oliuarum cum mulieribus, & alijs mercenarijs ſcopas & cribros præ manibus habentes, neq; iumenta ducant onerata, mulieribuſque ſocios ſe non adhibeant, & cum illis præſertim, quæ ſuſpicionem efficere poſſint: in cryptis non cohabitent, ſub pœna Ordinario benè viſa.

Alio colore in veſtibus non vtantur, quàm nigro, quæ talares erunt.

Caligæ non nimis turgidæ, & non alterius coloris, quàm nigri, vel albi Clericis & Sacerdotibus permittuntur.

Pileos præſertim turbinatos, & ocreas, & chirothecas in Eccleſijs, maximè tẽpore diuinorũ, nõ habeant, neque reticula, vel ſubbireta, niſi valetudinis cauſa.

Sæcularia iudicia omnino fugiant, pro alijs non poſtulent, ſi Eccleſiaſticis beneficijs ſuſtentantur, neque apud ſæcularem iudicem aduocati fiant, niſi Eccleſiæ forte, ſuam, vel ſuorum, & miſerabilium perſonarum, quæ ſe defendere nequeant, cauſam proſequantur.

Arma

Arma non deferant vllo pacto, neque etiam in itinere, nisi impetrata scripto licentia: aliàs excommunicentur, vel eos Ordinarius arbitrio suo puniat.

Et quia de his, qui in Clero connumerantur, quidã propter turpis lucri gratiam aliorum possessionũ conductiones, & causas sæculariũ negociorum suscipiũt, & à sacris officijs se per desidiam separant, ad domos aũt laicorum concurrunt, & substantiarum eorum gubernationes auaritiæ causa recipiunt; &, quod amarius est dolendum, nonnulli quasi in dedecore gloriantes, alicuius præpotentis, vel nobilis appellari se famulos, vel alio nomine creatos, non ægrè patiuntur. Curæ igitur sit Episcopo, siue eius Vicario, talia omnino prohibere, & in huiusmodi vilium personarum genus seuerè & acriter animaduertat.

Quoniam omnibus seruis Dei venationes, & siluaticæ fatigationes cum canibus, & accipitres interdicuntur; contrauenientes Clericos, vel Sacerdotes, & alijs sacris Ecclesiasticis Ordinibus initiatos, venatores, Ordinarius, ex antiquorum Canonum dispositione, debita pœna coerceat, eosdemque domi suæ, vel alibi canes habere non permittat.

Deridendam illam consuetudinem à nostro Clero procul arcere volentes, quam alicubi sumunt à laicis quibusdam Clerici Presbyteriq; nonnulli, vt barbam circumquaque radant, eam tantummodo & prolixiorem, quoad fieri potest, in superiore labro nutrientes, relictis quoq; pilis aliquibus, sed paucis ad instar cuspidis sub ore in inferiori parte, more Turcarum horribili quodam modo; præcipimus, strictissimeq; mandamus

damus omnes in Clero, quicumque ij sint, ab huiusmodi vanitatibus abstinere: barbam enim vel totam radant, vel æqualiter tondeant: qui cōtrafecerint, vnius aurei pœna pro qualibet vice mulctentur, vel carceris, arbitrio Episcopi.
Aleis & taxillis, & eius generis ludo non vacent.
Mulierum consortia, suspectarum præsertim, omnino vitent.
Pacem cum omnibus habeant quantum in ipsis erit.
Amici commissa non reuelent.
Lites, ac iurgia non suscitent.
Rixas, æmulationes, atque contentiones detestentur.
Præpositis obediant.
Proximum in negotio non circumueniant.
Creditoribus satisfaciant.
Fidem non fallant.
Pacta seruent.
Quod iureiurando promiserunt, adimplere studeant; ne periurium incurrant, ac propterea pœnas contra periuros iurè inflictas subeant.
Sceleratos, & facinorosos neque domi, neque alibi recipiant.
A mendacijs caueant: *Os.n. quod mentitur, occidit animā.*
In iudicium euocati præstò sint poscenti se rationem reddere.
Cauillationes effugiant.
Inanibus, ac superfluis impensis alios eorum causa prægrauari non sinant.
Videant quomodo cautè ambulent, vt non vituperetur ministerium nostrum; attendentes, quòd malorum conuersatio bonos etiam corrumpit; quanto ergo

magis eos,qui ad vitia proni sunt?

Non sint cum laicis frequentes; ex eis namque dignitatis nostræ contemptus sæpè proficiscitur.

Prudentia opus est;quia non debet Sacerdotum stultitia sub nomine simplicitatis excusari.

Parochi insuper ex sua infirmitate aliorum infirmitates pẽsantes, magis per humilitatis & mãsuetudinis leuamentũ, studeant peccatores ab erroris laqueo eruere, quàm per austeritatẽ in foueam perditionis nutantes propellere.hinc enim,vt ipsi sciũt, querelæ permultæ,hinc Plebiũ calumniæ:& qualis erit cura, si iurgijs omnia plena?Patientia nobis necessaria est,vt per eam curramus ad propositum nobis certamen.dignè igitur ambulemus vocatione,qua vocati sumus,sciẽtes,quòd in patientia nostra possidebimus animas nostras.

Et quoniam litteris carens,sacris officijs aptus esse non potest;attendant Clerici,alijq; Sacerdotes lectioni sacræ Scripturæ, & exhortationi, & doctrinæ, quæ conuertens animas, lucerna est pedibus nostris. Linguam saltem latinam non ignorent,vt pro munere suo quisq;satisfaciat,ne sibi fortasse dici contingat à Præposito suo:Scientiam repulisti, & ego repellam te,ne ad ordines admittaris,neuè plebium mearũ custodiæ, regiminiq; pręficiaris. Verumtamẽ est cauendum, ne Dei omissis Euangelijs,ac prophetis,comœdias,amatoriaq;legamus; & id quod in pueris adest causa necessitatis, fiat in nobis crimen voluptatis.

Ceterùm omnes hortamur, vt quisque propositum suum in Domino custodiat,& vsque ad finem vitę perseueret; ac,si operam nostram Mater Ecclesia desiderauerit

raue-

rauerit, nec elatione auida suscipiamus, nec blandiente desidia respuamus: sed miti corde obtemperemus Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui nos gerit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas, nec otium nostrum necessitatibus Ecclesiæ prępo namus, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremur, non inueniremus.

De Præbendis & Dignitatibus. Cap. XXXI.

CVM secundùm Apostolum, Qui altari seruit, viuere debeat de altari; & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede; dignũ est, vt Ecclesiæ stipendijs Clerici sustententur, in qua & per quam diuinis obsequijs adscribũtur. Verũtamen, quia non generis, sed virtutum nobilitas, vitæq; honestas gratum Deo faciunt, & idoneum seruitorem, qui non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes, eo quòd non est personarum exceptio apud ipsum; ætatis maturitas, grauitas morum, litterarumq; scientia inquirãtur in ijs, qui Ecclesiasticis erunt ministerijs præficiendi: nam si in temporalium dispositione bonorũ habenda est discretionis cautela, præcipuè vt ea laudabiliter disponantur; quanto magis in rebus Deo dicatis inuigilare nostra debet intentio, vt iuxta personarum conditiones & status ad diuini nominis laudem, & Ecclesiarũ vtilitatem prouideatur ex merito Ecclesiasticis personis? Est enim graue nimis & absurdum, cum possumus viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promouere, indignos assumere, quibus nec morum honestas, nec lit-

terarum ſcientia ſuffragatur,carnalitatis ſequentes affectum,non iudiciũ rationis:vnde quanta ex hoc damna proueniunt Eccleſijs,nemo ſanæ mentis ignorat.

Sed quoniam cœpti iam inſtituti ratio poſtulat, vt quantum cum Deo valemus,Eccleſiæ noſtræ Clerique totius vtilitati proſpiciamus; operæpretium fore duximus,nonnulla in præſentiarum præſcribere,quibus ſi quemadmodum par eſſet,diligenter ab omnibus intendatur, de cetero Clerici,alijque Sacerdotes beneficiati damnum ex eo non patientur,quod in ipſorum fauorem noſcitur eſſe conſtitutum.

Contingit ſæpè vel ab eis beneficia cõferri,qui conferendi poteſtatem non habent:

Vel ijs certè,quibus ex Canonum diſpoſitione non licet:aliquando etiam ea conferuntur, quorum diſpoſitionem ex varijs rerum cauſis ad conferentem ipſum non pertinere poſtea conuincitur: Quò fit (cum non excuſet iuris ignorantia) vt ex collationum huiuſmodi defectibus, qui maximè in viſitationibus deteguntur,quamplures litibus inuoluantur,fructuumque malè perceptorum reſtitutioni ſint aſtricti, aliaque permulta patiantur incommoda pauperes Clerici, quæ recenſere non oportet.

Omnes igitur admonemus,beneficia in Eccleſia noſtra conferendi facultatem eſſe,non quidem Vicario,ſi non ſpecialiter id ſibi concedatur, ſed Epiſcopo: cui non tamen ſemper quoties vacationis caſus occurrit, nec omnium beneficiorum in dicta Ciuitate & Diœceſi noſtra exiſtentium collatio pertinet; ſed multa eorum ex Canonum & ſummorum Pontificum conſtitu-

tionum, ac Regularum Cancellariæ dispositione, aliorum collationi sunt reseruata. Et quoniam constitutiones Regularum Cancellariæ non disponunt in perpetuum, & ob rerum varietatem statuta quandoque variantur humana, fieriq; potest non eandem semper beneficiorum conferẽdorum rationem futuram: Habeat propterea Vicarius quandocumque vacationis casus occurrerit, Constitutiones præ manibus, & Regulas Cancellariæ, ne fortè erret, & diligenter aduertat, ne beneficia non conferenda conferat.

Admonemus etiam, quòd quædam alia sunt beneficia, quæ quidem respectu loci quandoque, rationeq; interdum certæ personæ, vel ratione temporis, sæpè etiam delicti conferre nobis non permittitur.

Locus enim facit, vt in eadem Ecclesia, in qua Pater administrauit, filio etiã legitimo, & aliàs habili, quando tamen Patre defuncto, mediæ non intercesserint personæ, prouidere non possimus de eisdem beneficijs, vel penitus similibus, nempe Canonicatibus, & præbendis Presbyteralibus, neque in eadem vnum habenti, aliud simile beneficium conferamus.

Personæ multifariam considerantur, quemadmodum & beneficia ipsa, illudque generaliter est aduertendum, in promouendis quibuscumque mores requiri, scientiam, & ætatem.

Inhabiles, illegitimi, infames, & criminosi, non admittantur.

Scientia debet esse saltem mediocris, quæ sufficiat ad regendum beneficium illud de quo prouidetur.

Aetas autẽ in obtinentibus Ecclesiastica beneficia

definitur, vt ante decimum quartum ad minora, & simplicia, ad dignitates verò quascumque, quibus animarum cura subest, ante vigesimum quintum ętatis annũ promoueri nemo possit. Ad cæteras verò dignitates, vel personatus Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores asciscantur.

Et cũ Ecclesiasticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum; sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesijs conscribi: idcircò sancta Synodus Tridentina debitam regendis Ecclesijs disciplinã restituens, mandauit in posterum, vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferri: quod quidem si ad vitam eius cui confertur honestè sustentandam non sufficiat, nobis nihilominus ex eiusdem auctoritate licebit simplex aliud sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre.

Delicti quoque ratione accidit interdum, vt beneficia quædam de quibus aliàs prouidere possemus, sanctis s. Romanus Pontifex ea specialiter sibi reseruet, puta vacãtia, qualiacumque sint, propter hæresis crimen.

Vel propter confidentiam, etiam si de iure patronatus, ex fundatione & dotatione sint, etiam laicorum nobilium & illustrium.

Idq; alibi frequenter cõtigisse nõ ignoramus: quare Vicarius pro tempore sollicitè curet, ne ab huiusmodi, & simoniacæ prauitatis labe Ecclesia nostra, quantum in ipso erit, labefactetur: quod auctore Deo facilè præstabit, si diligenter & attentè fel. rec. Pij V. desuper editam constitutionem obseruare studuerit.

Sed non ab re erit, si Vicarius omnes summorum Pontificum Constitutiones nouissimas, & Extrauagantes in vnum compilatas habeat, & id generis alia, ex quibus eliciuntur plurima Ecclesiastico foro summè necessaria, præsertim cum de beneficijs conferendis, eorumque reseruatione agitur.

Labori & sumptui ne parcat, si cum fecerit, quod in ipso est, apud alios aliquando excusatione dignus haberi inuenirique velit.

Caueat igitur ne beneficia conferat absque sibi specialiter delegata facultate, vel eorum resignationes admittat, Excommunicatione forte irretitus.

Neque de ijs, vti Vicarius, facta etiam sibi ab Episcopo potestate, prouideat, quæ non pertinent ad Ordinariam collationem.

Anteaquam vacent.
Cum aliqua dimunutione.
Accedente pacto.
Tempore prohibito.
Personis indignis, & inhabilibus.
In ætate legitima non constitutis.
Incerta, ipsorum scilicet nominibus non expressis.
Si se inuicem non compatiuntur.
Vt duo Canonicatus simul.
Duæ portiones.
Duæ Dignitates.
Dignitas cum Parochiali.
Duæ Parochiales.
Dignitas cum portione.
Parochialis cum Canonicatu.

Portio

Portio cum Parochiali.

Canonicatus cum portione.

Duo conformia sub eodem tecto.

Reliquas incompatibilium species prætermisimus, quia vel raró, vel fortasse numquam in Ecclesia Monopolitana possunt accidere.

Ne duobus beneficium vnum, sed vni.

Canonum, & Concilij forma non seruata.

Et quamquam in beneficijs de iurepatronatus, præsentatos à patronis instituere possit; aduertat nihilominus, an titulus ex fundatione, vel dotatione sit, An ex legitima & necessaria causa, & ob maximè euidentem Ecclesiæ, vel beneficij, seu dignitatis necessitatem iusq; patronatus huiusmodi legitimè constitutum existat.

An in Collegiata.

An in consecrata iam Ecclesia reseruatum fuerit.

An ex consensu Episcopi tacito, vel expresso.

An ex priuilegio.

An censeatur eidem abrogatum.

An probetur titulus ex legitimo documento.

An ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, quibus initij memoriam excedant.

An, si forte præsumatur in eo vsurpatio, vltra immemorabilis temporis probationem, præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio; quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur.

An Patroni, si laici sint, in quadrimestre tempus: si verò sint Ecclesiastici, in sex mensium spatium.

An se ipsos præsentauerint.

An dignus, & habilis, An realiter quis, & iuxta fundatoris voluntatem vel familiaris, vel consanguineus exempli gratia fuerit præsentatus.

An alio Rectore viuente.

An Ecclesia sit Curata.

An etsi Parochialis non existat, in ea debeat Sacerdos præsentari.

An fuerit vnquam ab Ordinario huiusmodi conditioni derogatum.

An de consensu Patroni.

An Patronus occupauerit ipsius bona, & in proprios vsus conuerterit, vt excommunicatus, & à patronatus iure cecidisse declaretur.

Cetera dispiciet pro sua prudentia, ne fortè aliud quàm causa depoScit per ipsum statuatur.

Iurium legatorum fundationes scrutetur.

Ecclesiarumque census;& earum immobilia bona, ipsorum occasione vsurpari non sinet, vt aliquando impiè factum didicimus.

Non citò manus imponat, sed edicto proposito, & re maturius perspecta, eodem tempore & testatorum voluntatibus & Ecclesiarum libertati faueat.

Reliquum est, vt videamus quæ cauere debeant impetrantes apud Sedem Apostolicã, ne sibi factæ beneficiorum collationes subreptitiæ, nullæq; censeantur: sæpè enim ex eorum simplicitate decipiuntur, impensas faciunt inanes, & nouis indigent prouisionibus.

Igitur est generaliter sciendum, & in primis:

Debere in beneficiorum impetratione de his mentionem

tionem fieri, quę Sanctissimum D. nostrum retrahere, vel ad concedendum difficiliorem reddere possent.

Atque etiam expresse per verba in Romana Curia, & non in partibus istis tantummodo vsitata de ijs, quę specialiter exprimi iure cauentur; et si talia non sint quorum taciturnitas D. Papam vel retrahere, vel certè ad gratiam difficiliorem reddere deberent.

De beneficio quantumcumque modico, quod quis possidet, facienda est mentio in alterius beneficij impetratione.

Obtinens beneficiū minus canonicè, si velit huiusmodi vitium per nouam Sedis Apostolicæ concessionem purgare, de iniusta detentione, deque fructibus per ipsum malè perceptis mentionem facere debebit.

De reseruatione, quæ notoria non existat in Curia.

De animarum cura.

De residentia, quam requirit beneficium, quod postulatur.

De beneficijs alijs, quæ permutantes possident, si permutationis causa in manibus D. Papæ renunciationem fieri ab aliquibus aliquando contigerit.

De Commenda.

De beneficijs adeptis post primam gratiam, quam quis reformari petit, vt si per subreptionem beneficiū aliquod impetretur, & post illud etiā alia, quamuis canonicè, velimusq; super gratia prima, quæ videtur nulla, nouam prouisionē obtinere, de beneficijs alijs post eam impetratis mentionem facere tenemur, idque tutissimum erit ad quæstiones & lites euadendas.

De beneficio cui quis renunciauit, si renunciatio non tenuit, neque fuit acceptata; nam eo casu non pro-

prieta-

prietatem; sed beneficij possessionem amittimus.

Obtinens beneficium, cui aliquis renuntiauit resignationis publicationem suo tempore fieri curabit, seruata formæ nouæ constitutionis à felic. record. Papa Gregorio desuper editæ.

De Iure Patronatus Laicorum.

De annuo beneficij valore secundum communem æstimationem, oneribus deductis, in quo quotidianæ distributiones non computantur.

Pauca diximus, vtilia tamen pro Clero nostro, & vsu quotidiana, in quibus errari frequenter animaduertimus. de reliquis autem quandocumque impetrationis casus euenient, eum Iurisperiti consulendi, qui attento beneficij statu, modo, temporeq; vacationis, & personæ qualitate, rectè quid agendum sit pro eorum prudentia impetrantibus respondebunt.

De Pœnis. *Cap. XXXII.*

POenas, quæ in nostra Synodo ad peruersorum malitiam reprimendam certæ sunt constitutæ, inuiolabiliter volumus in subditos obseruari: sed si quando vel nostro, vel successorum nostrorum, siue etiam Vicarij arbitrio expressè, vel tacitè relinquuntur, eam in infligendis ijs rationem adhiberi desideramus, vt fiat cum misericordia iudicium.

Et licet plerũque dum mutatur locus, mutetur etiã mentis affectus, videaturq; congruũ aliquem inde corporaliter euelli, vbi illecebris deseruiuit; attentè nihilominus est aduertendum, ne Clericis nostris vagandi, diuiniq; cultus omnino deserendi occasionem præ-

beamus, vt si mali in conspectu nostro sint, peiores à no bis longè positi fiant.

Estq; tandem maxima diligentia prouidendum, ne pecuniariæ mulctæ per nos, vt sanctè à sacris Canonibus admonemur, ad turpem quæstum conuertantur, neuè ad aliud grauamen statuta nostra trahãtur. Regat ergo vigor disciplinæ mansuetudinẽ, & mãsuetudo ornet sermone vigorem; & sic alterum cõmendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mãsuetudo dissoluta.

Multa & quidem necessaria ad vestrum omnium vtilitatem in præsenti hac nostra Synodo pertractanda forent, Nempe,

De officio Vicarij.
De Magistro actorum.
De Procuratore Fisci.
De Consultore.
De seruientibus, ac iuratis (vt vocant.)
De reformatione Tribunalis.
De Taxa mercedum.
De iudicijs quædam.
De formulis Dimissoriarum.
Collationum ordinum.
Beneficiorum.
Vicariatus.
Facultatis aliorum Officialium.
Ratiocinatorum Ordinarij.
Sacristæ.
Magistri Cæremoniarum.
Deputationum examinatorum.
Approbationum in examine per concursum.

Licentiarum pro ludi magistris, confessarijs, & similibus.

Ea tamen in Synodo, quæ primo quoque tempore, hoc eodem loco, Domino dante, habebitur, commodius explicanda reseruauimus.

35 Quæ autem sanciuimus modò, hæc seruate & facite: quia profectò non grauia & importabilia, sed onera sunt leuissima, & Deus Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui potens est abundare facere in nobis omnem gratiam, det vobis cor omnibus, vt colatis eũ, & faciatis eius voluntatem, & repleat vos omni gaudio & pace hìc, & in æternum. Amen.

In præsenti Synodo propositi de mandato Illustris & Reuerendiss. Domini Episcopi fuerunt approbati pro examinandis confessarijs, promouendis ad Ecclesiasticos ordines, ad Ecclesias Parochiales, & reliqua Ecclesiastica beneficia infra notati, videlicet,

R.D. Iulius Cæsar Palmerius I.V.D. Cathedralis Monopolitanæ Ecclesiæ Archidiaconus.

R.D. Siluius Ritius Archipresbyter.

R.D. Ioannes Antonius de Falconibus Decretorum Doctor, secundus Primicerius.

R.D. Ioannes Paulus Rondella Canonicus I.V. Prof.

R.D. Ottauius Romanellus Canonicus, in iure canonico licentiatus.

Abbas Andreas sancta Martha Rector *Parochialis Ecclesiæ sancti Saluatoris.*

Abbas Cæsar Pisanus. Rector Parochialis Ecclesiæ sancti Petri.

Abbas Marcus Antonius Marianus Rector Parochialis Ecclesiæ sanctæ Mariæ amalfitanæ.

Abbas Iulius Cæsar Maurellus Rector Parochialis Ecclesiæ sancti Angeli.

Abbas Ioannes Antonius Bandinus Vicarius in animarum cura Ecclesiæ Cathedralis.

R. Pater Thomas de Criptalijs sacræ Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum, Prior Monopol. Conuentus sancti Dominici.

R. Pater Bonauentura Francus de Palmerijs sacræ Theologiæ Magister, Guardianus Monopol. Conuentus Diui Francisci Ordinis Minorum Conuentualium.

In Terra Cisternini.

R. *D. Camillus Soletus Archipresbyter Terræ Cisternini. I. V. Profess.*

De mandato pariter eiusdem Illustris & Reuerendissimi Domini Episcopi fuerunt propositi, & approbati Iudices, quibus causæ à Sede Apostolica committi possunt, iuxta sacri Tridentini Concilij dispositionem, videlicet,

R. *D. Iulius Cæsar Palmerius. J. V. D. Archidiaconus.*

R. *D. Ioannes Antonius Falconius Decretorum Doctor Primicerius.*

Item de mandato prædicti Illustris & Reuerendissimi Domini fuerunt propositi, & approbati testes Synodales infra notati, videlicet,

R. *D. Siluius Ritius Archipresbyter.*

R. *D. Orlandus de Falconibus primus Primicerius.*

R. *D. Antonius Pesolus Canonicus Pœnitentiarius.*

Abbas Cæsar Pisanus Rector *Parochialis Ecclesiæ S. Petri.*

Abbas Iulius Cæsar Maurellus Rect. Paroch. Eccl. S. Angeli.
D. Petrus de Brescia Cathedralis presbyter Portionarius.

In Terra Cisternini.

R. D. Camillus Soletus Archipresbyter J. V. professor.
Abbas Franciscus Soletus Primicerius.
Abbas Martinus de Antico Thesaurarius.

De mādato similiter præfati Illustris, & Reuerēdissimi Domini propositi fuerunt, & approbati pro conficiendis Instrumentis rerū, & bonorū Ecclesiasticorū infrascripti Apostolica auctoritate Notarij, videlicet.
Egregius Nicolaus Antonius Thauarus Monopolitanus.
Egregius Georgius Thyerrius Lotharingus Episcopalis Monopolitanę Curię Actuarius.

Acclamationes in fine Synodi solemniter intonatæ per R. D. Cathedralis eiusdem secundum Primiceriū, Choro respondente vt infra.

Primicerius. In pace Dominum oremus.

Chorus. ℟. Domine miserere.

P. Pro superna pace, & salute animarum nostrarum Dominum oremus.

℟. Domine miserere.

P. Pro pace totius mundi tranquillitate sanctarū Dei Ecclesiarum, & omnium vnione Dñm oremus.

℟. Domine miserere.

P. Pro beatissimo Papa nostro SIXTO sanctæ vniuersalis Ecclesiæ Pastore Dominum oremus.

℟. Sanctissimo Patri esto semper Domine Deus adiutor, vt ipso gubernante cunctarū gentium vna sit fides orthodoxa, omnesq; iustitia & abundantia pacis in Ecclesia tua Dñe diutissimè perfruātur.

P. Pro hac ſancta Domo, & ijs, qui cum fidei religione, & Dei timore ipſam ingrediuntur Dominum oremus.

℞. Domine miſerere.

P. Pro Reuerendiſſimo ANTONIO Cardinali Carafa benefactore noſtro Dominum oremus.

℞. Magnæ gratiæ, æterna in Eccleſia noſtra memoria, perpetua ſalus, Dominus retribuat.

℞. Pro Epiſcopo noſtro ANTONIO, qui Synodum hāc promouit, ac perfecit Dominum oremus.

℞. Antiſtitem noſtrum Eccleſiæ Monopolitanæ in tua gratia Domine conſerua multos annos.

P. Pro venerabili Presbyteratu, in Chriſto Diaconatu, vniuerſo Clero, & Populo Dominum oremus.

℞. Domine miſerere.

P. Pro Religioſiſſimo Catholico, & ſanctæ Fidei defenſore PHILIPPO Rege noſtro, vniuerſa prole ſua, Regnis, & exercitibus eius Dominũ oremus,

℞. Aeterne Deus famulum tuum in amore tuo conſerua, auctumque cæleſti gratia de omnibus Eccleſiæ, & Chriſtianæ fidei hoſtibus in dies triumphare concede.

P. Pro cunctis Principibus Chriſtianis, vt vnà bellũ gerant, & omnem inimicum, & aduerſarium, pro ſanctæ Fidei propagatione ſuis pedibus ſubijciant, Dominum oremus.

℞. Domine miſerere.

P. Pro tota Ciuitate noſtra, & regione Dominum oremus.

℞. Domine miſerere.

Pro

P. Pro bona aeris temperie, fructuumq; terræ fertilitate, & pacificis temporibus Dominum oremus.

℟. Memento Domine in beneplacito populi huius, vt omni tua benedictione à fructu frumenti, vini, & olei multiplicatus, quæ tibi placita sunt cupiat, & tota virtute perficiat.

P. Pro nauigantibus, iter facientibus, ægrotantibus, laborantibus, captiuis, & ipsorum salute Dominum oremus.

℟. Domine miserere.

P. Vt nos liberemur ab omni afflictione, ira, periculo, & necessitate Dominum oremus.

℟. Domine miserere.

P. Vt nos Deus in domo sua vnius moris efficiat Dominum oremus.

℟. Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, & quos vno cælesti pane satiasti, tua fac semper pietate concordes. Amen.

F I N I S.

ELENCHVS CAPITVM QVÆ IN HAC DIOECESANA SYNODO CONTINENTVR.

De Pa-

REGISTRVM

† A B C D E F G H I K L M N O.

Omnia foglia, præter † semifolium.



R O M AE,

graphia Bartholomæi Bonfadini. 1591.

